HERMENEUTICA SACRA,

SEU

INTRODUCTIO IN OMNES ET SINGULOS

LIBROS SACROS

VETERIS AC NOVI FOEDERIS

Volumen II.

J. HERMANNI JANSSENS
IN SEMINARIO EPISCOPALI
LEODII
SCRIPTURAE S. AC THEOLOGIAE DOGMATICAE
PROFESSORIS PUBL. ET ORD.

HERMENEUTICA SACRA,

SEU

INTRODUCTIO IN OMNES AC SINGULOS
LIBROS SACROS
VETERIS ET NOVI FOEDERIS

In usum Praelectionum Publicarum Seminarii Episcopalis Leodiensis.

Volumen II.

REIMPRESSA.

VILNAE
Typis Dioecesanis.
1830.

Πας γραμματευς μαθητευθεις εις την Βασιλειαν των ὀυρανων, ὁμοιος ἐστιν ἀνθρωπῳ οικοδεσποτῃ, ὁστις ἐκβαλλει ἐκ του θησαυρου αυτου καινα και παλαια.

Ματθ. Κεφ. ιγ. νβ.

Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas.

Distinc. 38. C. 1.

SECTIO III.

DE LIBRIS S. NOVI FOEDERIS.

§. CLXXV.

De Evangeliis.

423.) Ἐυαγγελιον = *Evangelium* graece *faustum nuntium* significat, ac continet historiam adventus, vitae, doctrinae, factorum, mortis et resurrectionis *Jesu Nazareni*, *Messiae*, *Filii Dei.* Hanc historiam conscripsere *SS. Matthaeus* et *Joannes*, qui testes oculati et auriti factorum ac dictorum Jesu fuerunt, atque *SS. Marcus et Lucas*, qui testibus oculatis et auritis accensendi sunt, eoquod Apostolorum comites, et primus *S. Petri*, alterque *D. Pauli*, potissimum discipulus fuit, ac proinde uterque suam doctrinam ab Apostolis accepit.

De Evangelio secundum Matthaeum.

§. CLXXVI.

Matthaeus. AEtas et lingua ejus Evangelii.

424.) *Matthaeus*, qui et *Levi* nuncupatur (*Luc.* 5, 27.), filius *Alphaei* (*Mar.* 2, 14.), natione *Galilaeus*, et professione *publicanus* fuit (*Matth.* 9, 9.).

Scripsit suum Evangelium juxta omnes codices graecos anno 41°. aerae vulgaris, seu 8°. post Christi gloriosam resurrectionem.

425.) Usus est Hebraeorum lingua vernacula, quae erat *hebraea*, seu *syro-chaldaïca*, ut *Papias*, *Origenes*, *Irenaeus*, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Cyrillus Hieros.*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Auctor Synopseos*, *Theodoretus*, et omnes antiqui Patres testantur (*a*).

Evangelium hoc illico in *linguam graecam* versum est, haecque versio textui primitivo adeo praevaluit, eoquod ab *Ebionitis* corruptus erat, ut hic neglectus, et saeculo II°. deperditus sit. Quare textus hebraeus, qui modo extat, nihil aliud est quam versio *translationis graecae*, uti et nostra *Vulgata*.

Erasmus, *Clericus*, *Lightfoot*, et nonnulli recentiores, quos inter cl. *Hug* (*b*), existimant, linguam originariam Evangelii S. Matthaei *esse linguam graecam*.

Verum haec sententia 1°. antiquorum Patrum testimonio repugnat, et 2°. licet, *lingua graeca* vigeret in Palaestina, Judaei tamen, populus praesertim, loquebantur generaliter *lingua hebraïca*, verbis chaldaïcis et syriacis mixta, ut patet *a*) quod Christus ista lingua locutus est. Verba ejus in cruce: *Eloï*,

(*a*) *Papias apud Eusebium Hist. L.* 3. *C.* 39. *Orig. ibid. L.* 6. *C.* 25. *Iren. Lib.* 3. *adv. Haeres. C.* 1. *et* 11. *Euseb. L.* 3. *C.* 24. *Hier. Praef. in quatuor Evang. Epiph. Haer.* 29. *Cyril. Catech.* 14. *Chrys. Hom.* 1. *in Matth. August. de consensu Evangelistarum L.* 1. *C.* 2.

(*b*) *Hug Einleitung in die Schriften des neuen Testaments Tubingen* 1808.

Eloï, Lama sabacthani, a *S. Marco* (15, 34.) relata, sunt *syriaca*, *b*) quod S. Paulus Hierosolymis captus *idiomate hebraeo*, seu *syro-chaldaïco* populum allocutus est (*Act.* 21, 40.). Et hinc *c*) *Paraphrases Onkeli et Jonathan* aliquamdiu posterius eadem lingua factae sunt. 3°) De decem textibus in hoc Evangelio e V. F. citatis *septem* desumpti sunt e textu hebraeo, et si tres reliqui e versione graeca LXX. Interpretum deprompti esse videntur, ratio est, quod tempore Apostolorum versio graeca paris auctoritatis erat cum textu hebraeo; quare Scriptores S. N. F. etiam juxta illam Scripturam S. adlegarunt. Caeterum interpres graecus hosce textus e LXX. Interpretibus desumere potuit.

Occurrunt equidem nomina *hebraïca et syriaca*, graece explicata, ut *Emmanuel*, *Golgotha*, *Haceldama*, *Eloï*, *Eloï Lama sabacthani*, at haec explicatio a traductore graeco provenit.

§. CLXXVII.

Locus scriptionis, et occasio proxima Evangelii S. Matthaei. Pro quibus proxime est scriptum? Ejus scopus.

426.) *S. Matthaeus*, fide aliquibus annis in Judaea annuntiata, ibidem, et verisimiliter *Hierosolymis*, suum Evangelium scripsit.

Occasionem proximam ei praebuerunt Judaei, qui *Jesum Nazarenum* e Davidis stirpe oriundum, e *Maria* natum, et miraculorum patratorem equidem esse fatebantur, ast illum *Messiam* esse inficiabantur. Hinc S. Matthaeus scripsit hoc suum Evangelium,

et quidem proxime pro *Judaeis Christianis*, quod vel elucet ex descriptionibus *morum*, *sectarum*, *opinionum*, *et rerum geographicarum*, quas sine explicatione ponit, utpote lectores horum gnaros supponens.

Scopus vero S. Matthaei fuit Judaeis probare, *Jesum Nazarenum* esse illorum *Messiam*, a Prophetis praedictum, quod patet ex ejus multiplicibus citationibus vaticiniorum ac textuum V. F., quibus *Jesum Messiam* esse ostendit.

Hinc patet, Matthaeum scripsisse *dogmaticam Messiae historiam*. *Biographiam chronologicam Jesu* haud scripsisse videtur, eoquod tres alii Evangelistae alium ordinem tenent, praesertim *Lucas*, qui C. 1, 3. ait, se omnia *ex ordine* scripturum.

§. CLXXVIII.

Difficultates C. I. et II. Evangelii Matthaei.

427.) Nonnulli recentiores *Protestantes* dubia movent, utrum haec duo capita sint *S. Matthaei*, 1°. quod veteres aliqui de iis non loquuntur, 2°. genealogia *C. 1, 1-17.* relata, contradicere videtur *genealogiae Jesu* a *S. Luca C. 3, 23-38.* traditae, et 3°. quia *C. 2.* nonnulla occurrunt, quae apud alios Evangelistas non leguntur.

1°. Ast quod *Ebionitae* haec duo capita rejecerunt, et nonnulli antiqui de illis haud meminerunt, minime impedit, quominus sint *S. Matthaei*; nam *a*) *omnes emendatiores codices manuscripti*, qui extant, *omnesque antiquae versiones*, haec duo capita ut *S. Mat-*

thaei referunt; *b*) Patres antiquissimi, ut *Justinus*, *Irenaeus* et *Tertullianus* (*c*), per citationes textuum horum capitum probant, illa in antiquissimis manuscriptis fuisse; *c*) argumentum horum capitum *v. g.* genealogia Jesu C. 1, 1-17., ac eorum scripturae genus, cum fine hujus Evangelii, ac cum scripturae genere aliorum capitum ita conveniunt, ut illa capita *S. Matthaei* esse clare pateat.

2°. *Antilogia* autem inter *genealogias Matthaei et Lucae*, quam primus *Julianus imp.*, dein *Bolingbrock* aliique Deistae, modo autem recentiores nonnulli *Acatholici* objiciunt, nonnisi *adparens* est; aliam enim uterque Evangelista genealogiam scripsit, *Matthaeus* nempe conscripsit *genealogiam naturalem Josephi*, et *Lucas genealogiam Mariae* (Conf. N. 536-539.).

3°. Si vero ideo pericope alicujus Evangelii rejicienda esset, eoquod ab aliis Evangelistis non refertur, multa e *S. Luca*, et totum fere Evangelium *S. Joannis* rejicienda forent, utpote quae ab aliis Evangelistis non recensentur. Quilibet Evangelista in scribendo suo Evangelio *finem* proprium sibi proposuit, et ad hunc finem selegit e vita Jesu ea facta et dicta, quae ad scopum suum aptiora erant, atque hinc quaedam in aliis Evangelistis occurrunt, quae in aliis desunt.

(c) *Just. in Dial. Iren. L.* 3. *C.* 9. *Tert. L.* 5. *C. Marc. C.* 9.

De Evangelio Secundum Marcum.

§. CLXXIX.

Marcus. Occasio proxima et aetas ejus Evangelii. Locus ubi scripsit, et pro quibus.

428.) *Marcus* natione *Hebraeus*, ut ejus *hebraïsmi* evincunt, discipulus ac interpres fuit *S. Petri*, *ut Papias*, *Irenaeus* aliique antiqui scriptores testantur (*d*). *S. Petrus* eum *I. Epist. 5, 13.* suum *filium* adpellat. Diversus est ab illo *Joanne Marco*, *Mariae filio*, de quo *Act. 12, 12.* fit mentio; veteres enim illum numquam *Joannem Marcum*, sed simpliciter *Marcum* nuncupant, et *Eusebius* hos duos viros positive distinguit.

Occasionem proximam huic Evangelio praebuerunt testibus *Papia*, *Clemente Alex.* (*e*), *Epiphanio* ac *Hieronymo* Christiani *Romani*, qui Marcum rogarunt, ut quae Petrus praedicabat conscriberet; quare Marcus eorum votis annuens, ex praedicationibus S. Petri, quas, testibus *Papia* et *Clemente Alex.*, notis excipiebat, atque ex Evangelio S. Matthaei, cujus textum graecum prae oculis habuit, pro *Romanis* suum Evangelium scripsit *Romae*, juxta codices graecos anno 45°., et juxta multos auctores anno 47°. vel 48°. aerae vulgaris. Illum proxime pro *Romanis* scripsisse, insuper patet, quod quae illis ex Judaeorum moribus, ritibus etc. ignota esse poterant, sollicite explicet; sic exponit *C. 7*,

---

(*d*) *Pap. apud Euseb. L. 2. C. 14. Iren. L. 3. C. 1.*
(*e*) *Apud Euseb. L. 2. C. 16.*

2. quod manducare *κοιναις χερσιν* = *communibus manibus*, significet *non lotis manibus* comedere, *τουτ εστιν*, ait, *ανιπτοις*; *C. 12, 42.* monetam hebraïcam *Λεπτον* = *Lepton* romane aestimat *κοδραντεν* = *quadrantem*; *C. 15, 12.* dicit *Παρασκευη* = *Parasceve esse προσαββατον* = *ante sabbatum* etc.

§. CLXXX.

Lingua et scopus Evangelii S. Marci.

429.) Scripsit autem Marcus *graece*, et non *latine*, ut ejus graecismi hebraismis mixti evincunt, ut antiqui fere omnes tradunt. *Romani*, praesertim *nobiles*, pro quibus teste *Clemente Alex.* potissimum scripsit, et apud quos commorabatur, atque *Alexandrini*, ad quos profecturus erat, graeca praesertim lingua utebantur. *Versio* nostra *vulgata* adhuc textum graecum sapit. Hinc manuscriptum latinum, cujus 20. prima folia Venetiis, et 8. posteriora Pragae adservantur, nonnisi antiqua versio est textus graeci.

Scopus vero S. Marci est probare *Jesum Nazarenum* esse *rerum omnium Dominum*, ut liquet ex adlegatione operum divinae ejus potentiae, quae singulis fere capitibus refert.

§. CLXXXI.

Comparatio Evangelii S. Marci cum Evangelio S. Matthaei.

430.) Si comparamus Evangelium *S. Marci* cum illo *S. Matthaei* videmus, ambos Evangelistas eadem facta referre excepto quod in Matthaeo sint *tria facta*, quae desunt in

Marco, et *quatuor* in Marco, quae non sunt in Matthaeo. Facta a Marco omissa sunt 1°. de centurione *Matth. 8, 5-9.*, 2°. de illo, qui Christum sequi, sed prius patrem sepelire volebat *Matth. 8, 19. etc.*, ac 3°. de immundo spiritu *Matth. 12, 43. etc.* Facta a Matthaeo omissa sunt *a*) de *Daemonio* immundo in synagoga *Marc. 1, 23-25.*, *b*) de parvulis ad Christum accedentibus *Marc. 10, 14-15.*, *c*) sanatio surdi et muti ope sputi *Marc. 7, 31. etc.* et *d*) sanatio caeci in urbe Bethsaïda *Marc. 8, 22. etc.*

Habuit Marcus textum graecum Evangelii S. Matthaei prae oculis, ut ejus multiplices eaedem phrases, quae in textu graeco S. Matthaei sunt, evincunt, atque ex illo, et ex praedicatione S. Petri suum Evangelium confecit. Cum autem Marcus scriberet pro Gentilibus, omisit ex Matthaeo quae Judaeos tantum respiciebant, addidit autem quatuor nova facta et nonnullas rerum circumstantias. *Marcus* comparatus cum *Luca*, ordinem chronologicum servasse videtur.

Nonnulli Marcum Matthaei compendiatorem dixerunt, at perperam; nam 1°. Matthaeus quaedam habet, quae desunt in Marco, ac vicisism, 2°. ordo factorum in Marco, diversus est ab illo Matthaei, et 3°. Marcus particulares rerum circumstantias, mores et ritus Judaeorum ordinarie explicat, quod Matthaeus haud facit.

Marcus frequentem mentionem facit de *Petro*, ommittit vero aut leviter tantum attingit quae alii Evangelistae in ejus laudem referunt; et encomium, quod Christus de illo, postquam ab ipso ut *filius Dei* agnitus esset,

edidit, haud refert, triplicem autem illius negationem sat fuse narrat, qua re confirmatur antiquorum traditio, Petrum Marci Evangelium examinasse, et sua auctoritate munitum Ecclesiis legendum dedisse, et hinc antiqui Marci Evangelium *Κηρυξιν Πετρου* = *Praedicationem Petri* adpellarunt.

§. CLXXXII.

De Proto Evangelio Matthaei et Marci.

431.) Nonnulli recentiores existimant, *Proto Evangelium* extitisse, e quo Matthaeus et Marcus suum Evangelium traduxissent.

Ast nemo veterum scriptorum de hujusmodi Evangelio mentionem fecit. Si *S. Justinus*, ad quem adversarii adpellant, quosdam textus aliter citat, quam eos in Evangeliis Matthaei et Marci legimus, hoc dumtaxat probat, Justinum quaedam scripturae loca quoad sensum solummodo adlegasse, cum eumdem textum variis in locis aliter citet, et hoc nonnulli alii Patres antiqui pariter fecerunt (Conf. N. 506.). Caeterum hypothesis ista est omnino inutilis; ad concordiam et discordiam Matthaei et Marci explicandam dicere sufficit cum antiquis Patribus, Marcum ex Evangelio Matthaei, et ex praedicatione Petri suum evangelium confecisse.

§. CLXXXIII.

Difficultates capitis 16. Evangelii S. Marci.

432.) Nonnulli recentiores *Protestantes* addubitant, utrum 12. *ultimi versus capitis 16.*

sint S. Marci; 1°. ajunt, desunt in multis antiquis codicibus, testibus *Gregorio Nys.* et *Hieronymo* (*f*). *Hieronymus*: *Hoc Marci testimonium*, inquit, *in raris fertur Evangeliis*, *omnibus graecis libris pene hoc caput non habentibus* (g).

2°. *Versus* 9. contradicit *Matth.* 28, 1.

Sed 1°. pericope isthaec aut amanuensium incuria alicubi descripta non fuit, aut de industria omissa est ob adparentem antilogiam. Nulla occurrit ratio, cur Evangelio S. Marci addita fuisset, si illius non esset; illam autem esse S. Marci liquet *a*) ex omnibus fere antiquis manuscriptis existentibus, impressisque codicibus, qui illam continent, *b*) ex antiquissimis Patribus, *ut Irenaeo*, *Tertulliano*, *Clemente*, *Hippolito*, *Ambrosio*, *Augustino* et aliis. S. *Hieronymus* ipse hosce versus explicat, *c*) ex recensionibus *Origenis*, *Hesychii* ac *Luciani*, in quibus reperitur, *d*) ex consensu omnium antiquorum exemplarium *latinorum*, *syriacorum*, *arabicorum etc.*, *e*) ex ipsa terminatione *versus* 8, ; non enim verisimile est, Marcum finiisse suum Exangelium hisce verbis: *Timebant enim*, ac omisisse praecipuum miraculum Jesu, ejus nempe gloriosam resurrectionem.

2°. Antilogia ista nonnisi *adparens* est, uti videbimus N. 561.

(*f*) *Greg. Nys. Orat.* 2. *de resurrect.*
(*g*) *Hier. Epist. ad Hidibiam.*

§. CLXXXIV.

Lucas. Occasio proxima, lingua et aetas ejus Evangelii.

433.) *S. Lucas* patria *Antiochenus* (*Euseb. L. 3. C. 4.*), et professione *medicus* fuit. (Colos. 4, 14. Hier. de Script. Eccles.). Aliis videtur fuisse *Judaeus Hellenista*, quod Scripturam S. juxta LXX. Interpretes adlegat, aliis vero *Gentilis*, quod *D. Paulus Coloss. 4, 10. 11, 14.* illum a Judaeis distinguere videtur. Discipulns ac coadjutor fuit *S. Pauli* (*Philem. v. 24.*), quem in omnibus fere itineribus comitatus est, ut ex *Actibus Apostolorum* constat.

Occasionem proximam huic Evangelio dederunt facta et circumstantiae a *Matthaeo et Marco* omissa, et historiae inexactae vitae Jesu, quas nonnulli contexuerant.

Accepit autem Lucas materiam sui Evangelii ab Apostolis et discipulis Jesu, ut ipse *C. 1, 1-2.* tradit.

Scripsit eleganti *sermone graeco*, juxta multos auctores anno 53°, et juxta codices graecos 51°. aerae vulgaris.

§. CLXXXV.

Locus, ubi hoc Evangelium scriptum est. Pro quo? Ejus scopus.

434.) Scripsit Lucas suum Evangelium in *Achaiae Boeotiaeque partibus*, ait *S. Hieronymus*, probabiliter *Corinthi*, et quidem proxime in gratiam cujusdam *Theophili* (*C.*

1, 1-4.), qui vir princeps romanus fuisse videtur, eoquod titulus *Κρατιστος* = *Optimus*, quo illum compellat, tribui dumtaxat soleret summis sacerdotibus, provinciarum praesidibus, summis aedilibus etc., quodque nomina propria sine necessitate pro nominibus adpellativis sumi non debeant.

Cum Lucas proxime scripserit in favorem *Theophili* gentilis ad fidem conversi, nomina hebraïca *Rabbi*, *Amen* graece reddidit per *Διδασκαλον* *Ἐπιστατα* = *Magistrum*, et *ἀληϑως* = *vere*, et hinc ei cxplicat quaenam sint civitates *Capharnaum*, *Nazareth*, ubi sit *regio Gerasenorum*, *Mons Oliveti* etc. In *Actibus* vero *Apostolorum*, quos ut Evangelium *Theophilo* dedicavit, *Italiae Siciliaeque* urbes, ut *Puteolum*, *Regium*, *Syracusas* etc. sine explicatione ponit, harum utpote notitiam *Theophilo* supponens.

Scopus autem Lucae est probare, *Jesum Nazarenum esse verum hominum salvatorem*, ut ex factis et circumstantiis vitae Jesu, quas refert, patet, tradere nonnulla a Matthaeo et Marco omissa, et historias inexactas vitae Jesu corrigere.

§. CLXXXVI

Comparatio Evangelii Lucae, cum Evangeliis Matthaei et Marci.

435.) Prae manibus habuit *Lucas* textus graecos Evangeliorum *Matthaei* et *Marci*, ut ex multis, quae ex illis in ejus Evangelio litteraliter occurrunt, constat: Sic ex *Matth. C. 8, 9, 19. etc. 11, 43. etc.* eisdem verbis refert *C. 7, 8. 9. 57. etc. 11, 24.* facta de Centurione, de illo, qui Christum sequi, sed

prius patrem mortuum sepelire volebat, et de immundo spiritu, quae *Marcus* omisit. Ex *Marco* narrat, quae *Matthaeus* omiserat, et verbotenus ex *Marci C. 1, 24-25. 10, 14-15.* recenset *C. 4, 34-35.* factum de daemonio immundo in Synagoga, *C. 18, 16-17.* factum de parvulis ad Christum venientibus etc.

Refert Lucas omnia quae in Evangeliis Matthaei et Marci occurrunt, praeter sequentia, *a*) factum de discipulis in mari navigantibus, quibus apparet Christus super fluctus incedens (*Matth. 14, 23. etc. Marci 6, 45. etc.*), *b*) historia de Pharisaeis conquerentibus, quod discipuli Jesu illotis manibus manducarent (*Mtth. 15, 1. etc. Marc. 7, 1. etc.*), *c*) ejectio daemonis e filia mulieris Chananaeae (*Math. 15, 21. etc. Marc. 7, 24. etc.*), *d*) sanatio surdi et muti ope sputi (*Marc. 7, 31. etc.*), *e*) refectio 4,000. hominum *Matth. 15, 32. etc. Marc. 8, 1. etc.*), *f*) historia Pharisaeorum a Christo signum petentium (*Matth. 8, 1. etc. Marc. 8, 11. etc.*), discipulorum, qui a fermento Pharisaeorum cavere jubentur (*Matt. 16, 5. etc. Marc. 8. 14. etc.*), ac sanationis caeci in urbe Bethsaïda (*Marc. 8. 22. etc.*).

Cum Lucas Marcum ordinarie sequatur, et ista facta praetermissa collocata sint in Marco partim ante duo ista miracula, quibus Christus primum 5,000., et dein 4,000. hominum cibavit, et partim immediate post secundum hoc miraculum, cumque Lucas referat quae primum istud miraculum in Marco praecedunt, ac secundum consequuntur (*Marc. 6, 14. etc. 8, 27. etc. Luc. 9, 7. etc. ac v. 18. etc.*), atque post narrationem primi miraculi illico transeat ad ea, quae secundum mira-

culum subsequuntur, suspicantur nonnulli, amanuensium negligentia ob similitudinem duplicis praefati miraculi omissa esse e Luca non dumtaxat quae in Marco deprehenduntur, verum etiam alia, quae equidem in nullo Evangelista leguntur, sed tamen a primis Ecclesiae Patribus ut dicta et facta Jesu commemorantur, eo magis quod Lucas promittat, se *omnia ex ordine* scripturum *C. 1, 3.* Immo ipse Lucas *Act. 20, 35.* hanc sententiam ut dictum Jesu celebrat: *Beatius est magis dare quam accipere*; licet in suo Evangelio de ea mentionem non faciat. Verum cum nullus antiqus Pater, nullusque antiquus codex insinuet, quaedam e Luca esse deperdita, oportet illa aut primis Ecclesiae temporibus ex illo excidisse, aut nunquam in eo fuisse.

Lucas in eis, quae cum Matthaeo ac Marco communia habet, ordine rerum ac dictionis pressius sequitur *Marcum*, ut patet in textu graeco ex collatione descriptionum *miraculi* 5,000. hominum refectorum *Math. 14, 15. Marc. 6, 36. Luc. 9, 12.*, *missionis discipulorum* ad praeparandum pascha *Matth. 26, 18. Marc. 14, 23. Luc. 22, 10.*, *Juvenis*, qui Christum sequi volebat *Matth. 19, 16. Marc. 10, 17. Luc. 18, 18. resurrectionis filiae Jaïri*, et *Haemorrhoissae Matth. 9, 18. Marc. 5, 23. Luc. 8, 40. etc.* Lucas Marcum dumtaxat deserit, quando ejus dictio aut est obscura, aut non satis graeca, aut hebraïzans.

Marcionitae, qui solum Lucae Evangelium admittebant, de eo duo priora capita rejiciebant (*Tert. Cont. Marcion. L. 5. Epiph. Haer. 42.*).

Tertullianus et *Auctor Synopseos* existimant, Evangelium Lucae proprie esse Evan-

gelium *D. Pauli*. Verum Doctor Gentium illud solummodo adoptarat. Paulus de eo loqui creditur quando *Rom.* 2, 16. ait: *Κατα το Ἐυαγγελιον μου* = *Juxta Evangelium meum*. Conf. *C.* 16, 25. *II. Cor.* 8, 18. *II. Tim.* 2, 8.

§. CLXXXVII.

Difficultates Luc. 22, 43-44.

436.) Historia de *sudore sanguineo Christi*, ac *Angeli illum consolantis*, *Luc.* 22, 43-44., teste *S. Hilario* (*h*), in multis graecis latinisque codicibus defuit, et teste *Photio* (*i*), ab *Armenis* e Lucae Evangelio deleta fuit.

Verum duo isti versus amanuensium incuria omissi, vel de industria expuncti sunt a viris; qui perperam metuebant, ne haec humanae Christi naturae testimonia ejus divinitati obessent, ut observat *S. Hieronymus* (*k*).

Armeni erronee autumabant, hanc historiam divinitate Christi indignam esse, ut *Nicon* (*l*) testatur, eorum autem errorem damnat ipse *Photius* (*m*).

Reperitur vero haec historia in plerisque *graecis ac latinis codicibus*, ac *versionibus antiquissimis*, citaturque ab *Irenaeo*, *Justino*, *Epiphanio*, *Hippolito*, *Chrysostomo*, *Augustino* etc. (*n*).

(*h*) *Hil. L.* 1. *de Trinit. C.* 41.
(*i*) *Epist.* 138.
(*k*) *Dial.* 2. *cont. Pelag.*
(*l*) *De Pess. Rel. Arm. apud Calmet.*
(*m*) *Loco Cit.*
(*n*) *Iren. L.* 3. *C.* 33. *Just. Dial. cum Tryph. Epiph. Anchor. C.* 31. *Hippol. Cont. Noëtum C.* 13. *Chrys. Hom.* 84. *in Matth. Aug. de concord. Evang.*

S. Epiphanius (o) scribit, fuisse exemplaria Evangelii *S. Lucae*, ubi v. 41. Cap. 19. de ploratu Jesu sublatus erat, observat autem, illum ablatum fuisse a viris, qui perperam existimabant, ploratum Christo indignum esse. Versus iste in melioris notae exemplaribus reperitur, adlegaturque a *S. Irenaeo*, qui *Lib. 1. C. 21. contra Haer.* eum refert.

DE EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

§. CLXXXVIII.

Joannes. Occasio proxima ejus Evangelii. Pro quibus est proxime scriptum.

437.) *S. Joannes*, frater *S. Jacobi Majoris*, Bethsaidae, urbe Galilaeae, ex *Zebedaeo et Salome* natus (*Math.* 27, *56.* coll. cum *Marc. 15, 40.*) professione *piscator* fuit. Juvenis admodum fuit quando a Christo in discipulum electus fuit, ut liquet e longo tempore, quo post Christi mortem vixit. Christus illi et ejus fratri nomen *Boanerges*, id est *filii tonitrui*, imposuit (Marc. 3, 27.). Christi dilectus fuit discipulus, atque ita ipse se designat C. 13, 23. 19, 26. 20, 2. 21, 20. Interfuit Christi transfigurationi cum fratre Jacobo ac Petro (*Math. 17, 1.*) Cum Jacobo fratre ac Petro Christum comitatus est in hortum *Gethsemani* (*Math. 26, 37.*), illumque cum matre ejus in montem *Calvariae* secutus est, ubi eum Christus e Cruce pendens matri suae commendavit hisce verbis: *Mu-*

(o) *Anchor.* 21.

lier : *Ecce filius tuus*, illique de divina sua matre : *Ecce*, inquit, *mater tua* 19, 26-27. Ab hoc tempore Joannes Matrem Christi secum sumpsit.

Joannes plures in Asia minori erexit Ecclesias, quas diu in pace gubernavit, usque dum sub persecutione *Domitiani*, vel jam antea sub *Nerone* (N. 495.), Romam duceretur, ubi juxta testimonium *Tertulliani* (*p*), quod sequitur *Hieronymus* (*q*), dolio efervescentis olei immersus fuit, et e quo illaesus exivit. Dein vero in insulam *Pathmos* in Mari AEgaeo relegatus fuit (*r*). Ab exilio liberatus *Ephesum* rediit, ubi juxta *Polycratem*, *Irenaeum*, *Tertullianum*, *Eusebium*, *Hieronymum*, *Ambrosium*, *Chrysostomum*, *Concilium Ephesinum*, omnesqne antiquos scriptores ecclesiasticos mortuus ac sepultus fuit anno 3°. Imperii Trajani seu 101°. aerae vulgaris juxta *Eusebium*, aetatis anno circiter 100.

Occasionem huic Evangelio praebuerunt omnes fere Asiae episcopi ac legati plurium Ecclesiarum Asiae (*s*), Joannem deprecantes, ut authenticum testimonium ederet contra *Cerinthum*, *Ebionem* et *Valentinum*, qui Christi divinitatem negabant ac impugnabant, atque multa facta et dicta Jesu a *Matthaeo*, *Marco* et *Luca* omissa (*t*). Ex quibus patet, Joannem *historiam dogmaticam Jesu* conscri-

---

(*p*) *Lib. Praescrip. C.* 36.
(*q*) *Lib.* 1. *contra Jovinian.*
(*r*) *Euseb. L.* 3. *C.* 18.
(*s*) *Hieron. Praef. in Comment. in Matth. et de Scrip. Eccles. Joannes. Euseb. L.* 6. *C.* 14.
(*t*) *Euseb. Lib.* 3. *C.* 24. *Hieron. de Scrip. Eccles.*

psisse, et proxime quidem pro *Christianis Asiae.*

§. CLXXXIX.

Locus scriptionis hujus Evangelii. Ejus AEtas, lingua et scopus.

438.) Veteres nonnulli existimarunt, Joannem suum Evangelium scripsisse in insula *Pathmos*, et communiter creditur, eum illud conscripsisse *Ephesi*, post suum reditum ex dicta insula, juxta nonnullos codices graecos anno 64., juxta alios an. 94., et juxta plures auctores an. 97, aerae vulgaris.

Contendunt alii, Joannem suum Evangelium in insula *Pathmos* scripsisse, ac dein *Ephesum* misisse ad *Cajum* quemdam, adlegant I. Epistolam Joannis, quam ut *epistolam dedicatoriam Evangelii* habent, et ex insula Pathmos Ephesum missam fuisse credunt. Cum Joannes in hac epistola dicat: *Quod audivimus, quod vidimus .. annuntiamus vobis* etc., ajunt hunc prologum indicare historiam Jesu, quae in hac epistola non reperitur. Ast communiter creditur, hanc epistolam scriptam esse Ephesi, ut Evangelium.

Lingua originaria hujus Evangelii est *lingua graeca.*

Scopus Joannis in suo Evangelio est 1°., probare *divinitatem Jesu Nazareni*, ut colligitur tum ex *C. 20, 31.* ubi ait: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, tum ex *C. 9, 35-38. 10, 30. 11, 1-27. 12, 44-49.*, tum ex testimoniis *Irenaei*, *Clementis Alex.*, *Origenis*, *Eusebii*, *Athanasii* ac *Hieronymi.*

2°. Voluit Joannes supplere Evangelia *Matthaei*, *Marci* et *Lucae*, ut ex *Eusebio*, *Hieronymo* (u), et ex collatione ejus Evangelii cum tribus praecedentibus liquet.

§. CXC.

Comparatio Evangelii Joannis cum Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae.

439.) Si comparatur Evangelium Joannis cum Evangeliis trium aliorum Evangelistarum, patet, Joannem paucis factis exceptis alia ut nota supponere, et quamplurima nova facta et dicta Jesu, rerumque adjuncta referre, ut historiam initii praedicationis Jesu usque ad captivitatem *Joannis Baptistae*, varias circumstantias passionis, mortis et resurrectionis Jesu. Inter alia silentio praeterit professionem divinitatis Jesu a daemonio in synagoga Capharnaum, et a daemonibus regionis *Gerasenorum* extortam, et cui ipse interfuerat (*Matth.* 8, 29. *Marc.* 1, 29. 5, 7, 37. *Luc.* 8, 28, 51.), notam supponit Transfigurationem Jesu, cui pariter praesens fuerat (*Matth.* 17, 1. *Luc.* 9, 28.), silentio premit baptisma Christi, ejus testimonium coram *Caïpha*, confessionem Petri, praedictionem Jesu de ruina Hierosolymae, quae quando scripsit Joannes jam adimpleta erat etc., licet haec ad ejus scopum imprimis serviissent. Ex quo liquet, Joannem tres alios Evangelistas supplere voluisse. Scripsit proinde post ipsos Joannes suum Evangelium.

(u) *Euseb. L.* 3. *C.* 24. *Hier. de Script. Eccles.*

Pro concordia quatuor Evangelistarum *Matthaeus* ex *Marco*, hi ambo ex *Luca*, et omnes tres ex *Joanne* supplendi sunt.

§. CXCI.

Difficultates Joan. 8, 2-12.

440.) Historia *mulieris adulterae, C. 8, 2-12.* relata, in variis antiquis codicibus praesertim graecis, Patribus, ac in versionibus *Syriaca* et *cophtica* deest. *Maldonatus* de illa: *Consului*, inquit, *veteres Graecorum codices multos, nullus ex Mss. habebat praeter unum* (v).

Verum reperitur ista historia *a*) in multis codicibus graecis antiquissimis meliorisque notae, quos *Millius* adlegat. *Beza* ipse (*in Annotationibus*): *Ex vetustis nostris codicibus septemdecim*, inquit, *unus dumtaxat illam non habet. b*) Legitur in omnibus *exemplaribus latinis*, et in *versione arabica. c*) De illa loquuntur *Ammonius* ac *Tatianus* (x), *Auctor Synopseos*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, ac *Euthymius* (y). *Eusebius* in canonibus ex *Ammonio* collectis hanc historiam genuinam depraedicat, licet *Lib. 3. C. 39.* dicat, illam *in Evangelio secundum Hebraeos* reperiri. *d*) Nexus ipse hanc historiam genuinam esse ostendit; versu enim 12° legitur: *Iterum ergo eis Jesus locutus est*, ubi vox *iterum* evincit, Jesum jam antea Pharisaeis

---

(v) *Maldon. Comment in Joan.*

(x) *In Harmonia.*

(y) *August. de conjug. adulter. L. 2. C. 7. Chrys. Hom. 60. in Evang. Joan. Euthym. Comment.*

locutum esse, quod falsum foret, si historia isthaec abscinderetur. *e*) Ratio dissensionis inter codices antiquos est isthaec: Graeci Christiani, nimium delicati, existimarunt, ut observat *Augustinus* (z), praefatam historiam in ecclesiis publice praelegendam non esse, ne mulieribus peccandi licentia dari videretur. Alii vero metuebant, ne Gentiles ex hac historia ansam sumerent Christianos perperam incusandi, quod crimina publica excusarent. Hinc facile contigit, ut haec historia primum obelo notaretur, dein in codicibus publice praelegendis haud scriberetur, ac ita error in aliquos alios codices irreperet.

§. CXCII.

Difficultates Joan. C. 21.

441.) Joannes, inquiunt nonuulli *Protestantes* recentiores, C. 20, 31. finem suo Evangelio imponit; proinde caput 21. non est illius. Hoc 2° innuunt quae C. 21, 23. leguntur de Joannis immortalitate: *Sic eum volo manere donec veniam.* 3°. pluralis *scimus* etc. qui *v. 24°.* occurrit, 4. hyperbole *v. 25°* quod totus mundus capere haud posset libros, qui omnia dicta et facta Jesu continerent, 5°. antilogiae; nam Jesus adparens Apostolis C. 20, 23., illis praecipit, ne Hierosolymis discedant ante adventum Spiritus S., ut liquet ex *Luc. 24, 49.*, et *Act. 1, 3-4.* Juxta hoc *caput 21.* adparet Christus Apostolis ante adventum Spiritus S. *in Galilaea*, egressis proinde Hierosolyma.

(z) *Loco cit.*

Ast finis *capiti 20.* impositus solummodo arguit, Joannem tum Evangelium suum finiendi intentionem habuisse. Ratio, cur *caput 21.* postea adjecit, est nexus, qui inter adparitionem Apostolis C. 20, 26-29. factam, et inter illam hoc *capite 21.* narratam, intercedit. Joannes autem, ut constaret *caput 21.* esse suum, adhibuit cautelam *v. 24.* suam indicandi personam, ac *v. 25.* finem toti Evanvangelio imponendi.

Caeterum hoc caput Joannis esse constat ex notis ejus intrinsecis, *a) ex amplitudine narrationis* circumstantiis vestitae, quae nonnisi testi oculato et piscatori notae esse poterant (Conf. v. 7, 8, 11.), *b) ex consensu factorum cum characteribus* personarum (Conf. v. 7, 15-19.), *c) ex stylo*, qui est idem ac in caeteris capitibus, *d) ex Patribus antiquissimis, vetustissimisque codicibus ac versionibus.*

2°.) Juxta textum graecum legendum est. *Si (εαν) eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

3°. Nihil novi, quod Joannes hic pluralem adhibeat, adhibuit eum pariter C. 1, 14. 3, 11. *I. Epist. 1, 1-3.*

4°. Hyperbolae hujusmodi Orientalibus familiares sunt, ut constat ex hujus Evangelii C. 12, 19., *Gen. 11, 4. Num. 13, 33.* etc.

5°. Prohibitio Hierosolymis non discedendi Apostolis facta est post adparitionem Jesu in *Galilaea*, ut ex *Matth. 26, 32. 28, 7, 10.* certum est; ibi enim legitur, Christum promisisse, se primum adpariturum Apostolis in *Galilaea.*

442.) Existimarunt plures veteres, quatuor

Evangelistas in quatuor animalibus *Ezechielis C. 1.*, et *Apocalypseos C. 4.* praesignatos fuisse, de adplicatione autem horum animalium ad Evangelistas haud concordes fuerunt. Sed saeculo V°. praevaluit opinio *S. Hieronymi*, quam *Sedulius*, illius aevi poëta, sequentibus versibus exprimit:

Hoc Matthaeus agens Hominem generaliter implet.
Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis.
Jura sacerdotii Lucas tenet ore Juvenci.
More volans Aquilae verbo petit astra Joannes.
Quatuor hi proceres, una te voce canentes.
Tempora seu totidem latum sparguntur in orbem. (a)

De Actibus Apostolorum

§. CXCIII.

Auctor, occasio proxima, lingua et aetas Actuum Apostolorum. Locus eorum scriptionis.

443.) *Actuum Apostolorum* auctor est *Lucas* Evangelista, qui eos dedicavit eidem *Theophilo*, cui suum Evangelium dedicaverat (N. 434.).

Occasionem illis dederunt varia fabulosa Apostolorum acta (N. 22.), et inspiratio Spiritus S. miracula sua in serae posteritatis memoriam utilitatemque conscribi volentis.

Scripsit Lucas hosce Actus *lingua graeca.* Stilus ejus est nobilis, et orationes sunt elegantes. Tempus, quocum desinunt hi actus,

---

(a) De Evangelistarum symbolis vide *Du Pin: Dissert. Prélim. sur la Bible T. II. §. 2.*, et *Saurin: Discours des quatre Evangelistes avec leurs symboles.*

probat, Lucam hanc historiam conscripsisse *Romae*, circa finem secundi anni, quo *Paulus* Romae degebat in domo, quam conduxerat, anno scilicet 63°. aerae vulgaris, ita ut hi actus contineant historiam 30. circiter annorum (Conf. N. 477.).

§. CXCIV.

Argumentum et scopus actuum Apostolorum.

444.) Continent *Actus Apostolici* generatim executionem illius praecepti, quod Christus Apostolis dederat dicens: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (*Marc.* 16, 15.), recensentur in eis purissima nostrae religionis primordia in Judaea, illibati primitivorum Christianorum mores, fervor ac sanctitas, et enarratur quomodo lumen fidei Gentilibus sit communicatum, ac quomodo *Petrus* et *Paulus* illud longe dissitis regionibus intulerint.

Unum ex factis maxime stupendis est conversio *Pauli*, quae *Georgium Littleton*, celebrem Deistam anglum, ad Christum reduxit (*b*).

Scopus Lucae est veram primitivae Ecclesiae historiam contexere, ut eam falsis historiis opponat, atque miracula Spiritus S. serae posteritatis memoriae transmittat. Ponit haec historia Christianis ob oculos aureum

---

(*b*) Scripsit *Littleton* dein opus inscriptum: *Religio Christiana demonstrata per Conversionem et Apostolatum S. Pauli.*

Ecclesiae saeculum, eisque exempla intemeratae vitae tradit.

Acta Apostolorum, ait *Hieronymus*, *nudam quidem videntur sonare historiam, et nascentis Ecclesiae infantiam texere: sed si noverimus scriptorem eorum esse Lucam Medicum, cujus laus in Evangelio fuit, animadvertemus pariter omnia verba illius esse medicinam* (c).

De Epistolis D. Pauli.

§. CXCV.

Paulus.

445.) *Paulus*, antea *Saulus* nuncupatus, parentibus hebraeis de tribu *Benjamin* (*Rom.* 11, 1.) *Tarsi* in Ciliciae metropoli natus (*Act.* 22, 3.), et hinc ob romanum jus civitatis, huic urbi ab *Augusto* imp. concessum, *civis romanus* fuit (*Act.* 22, 25, 27.). Artibus liberalibus imbutus, Hierosolymis a *Gamaliele*, doctore Pharisaeo (*Act.* 5, 34.), in lege Moysis eruditus fuit (*Act.* 22, 3.), sectamque Pharisaeorum secutus est (*Phil.* 3, 5.). Judaeorum more litterarum studio opificium conjunxit, et commendatam apud Cilices artem tentoria ex corio in usum militiae conficiendi exercuit, eamque, inter Gentiles Evangelium annuntians, ne alicui esset oneri, exercere perrexit (*II. Thess.* 3, 8.). Cum esset Pharisaeus zelosus, Christiani nominis hostis infensissimus fuit (*Phil.* 3, 6.).

Interfuit caedi *Stephani* protomartyris, cu-

(c) *Hier. de Script. Eccles.*

stodivitqne eum lapidantium vestes (Act. 7, 57.): Hierosolymis orta in Christianos persecutione, *Paulus* illos inquirebat, atque condemnandos judicibus tradebat (*Act. 8, 3.*). Cum fideles ob persecutionem dispergerentur, ac ita Evangelium propagaretur, Paulus a summo sacerdote petiit ac obtinuit litteras, quibus poterat Christianos *Damasci* capere, vinctosque ducere Hierosolymam puniendos (*ib. C. 9, 1-2.*). Caedem igitur Christianorum spirans, se itineri commisit, sed prope *Damascum* humi miraculose prostratus, et Christi voce perculsus ac commotus, conversus fuit (*Act. 9.*). *Damasci* dein ab *Anania* baptizatus, et a sua corporali caecitate liberatus, mox Christi Evangelium ingenti zelo intrepide annuntiavit, atque ita suum Apostolatum auspicatus est (*ib.*). Maximis exantlatis laboribus, periculis quam plurimis superatis, multifarias aerumnas pro Christo forti animo perpessus, et longe lateqne christiana religione propagata, anno 66°. aerae vulgaris *Romae* sub imperatore *Nerone* capite plexus, mercedem gloriosam laborum, palmamque Martyrii nactus est.

§. CXCVI.

De Epistolis D. Pauli generatim.

446.) Scripsit hic *Doctor Gentium quatuordecim Epistolas*, quae in Bibliis collocatae sunt juxta dignitatem Ecclesiarum, ad quas directae sunt, et juxta materiam, quam complectuntur, non juxta ordinem chronologicum. En earum ordinem chronologicum!

I. ad Thessalonicenses.	Scripta	Corinthi	52.	
II. ad Thessalonicenses.		Corinthi	53.	
Ad Galatas.		Ephesi	55.	v. 50.
I. ad Corinthios.		Ephesi	56.	v. 57.
II. ad Corinthios.		In Macedonia	57.	v. 58.
Ad Romanos.		Corinthi	57.	v. 58.
Ad Philemonem.		Romae	61.	an. aer.
Ad Philippenses.		Romae	62.	(vulg.
Ad Colossenses.		Romae	62.	
Ad Ephesios.		Romae	63.	
Ad Hebraeos.		Romae	63.	
I. ad Timotheum.		In Macedonia	64.	
Ad Titum.		Nicopoli	64.	
II. ad Timotheum.		Romae	65.	

Subscriptiones, quae in textu graeco extant, non a D. *Paulo*, sed serius adjectae esse videntur; quare in *Vulgata* non leguntur.

§. CXCVII.

Stilus D. Pauli.

447.) *Paulus*, licet optime in Rhetorica et Philosophia versatus, iis tamen in suis epistolis methodice non utitur: *Sermo meus*, ait, *et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (*I. Cor. 2, 4.*).

Cum multiplicibus gravaretur curis, spirituque Dei vehementer incitaretur, potius rerum substantiam quam dictionem attendebat. Hinc ejus lingua graeca quandoque non est pura, phrasesque crebro hebraïcum potius quam graecum idioma sapiunt. Frequenter, neglecta constructione, incipit periodos, quas haud absolvit, eoquod connectionem rerum in ideis reponit. Cum ardenti animarum zelo aestuaret, veritates fidei, quae illi assidue ob oculos versabantur, suis lectoribus simul ingerere volebat; et hinc tot digressio-

nes, parentheses, ac transpositiones in ejus litteris occurrunt, quae junctae profunditati abstractae doctrinae, illius stilum intellectu difficilem reddunt: quare S. Petrus de Epistolis D. Pauli dicebat: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti ac instabiles depravant* (*II. Pet. 3, 15-16.*). Interim Doctor Gentium sua argumenta mire amplificat, et restringit, lectores modo erigit, modo percellit, modo leniter et modo vehementer adficit; atque in eis adfectus quoscumque pro diversitate argumenti excitat: *Quotiescumque lego Paulum*, agebat *Hieronymus*, *videor mihi non verba sed audire tonitrua* (*d*).

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

§. CXCVIII.

Locus scriptionis, aetas et lingua Epistolae ad Romanos.

448.) Scripta fuit haec Epistola, dictante *S. Paulo* ab amanuensi *Tertio* (*C. 16, 22.*) *Corinthi*, Achaïae metropoli, et *Romam* delata adparet per *Phoeben* diaconissam seu ministram Ecclesiae *Cenchreensis*. Erant *Cenchrae* portus urbis *Corinthi* (*C. 16, 1-2.*). *Corinthum* esse locum scriptionis hujus Epistolae, patet tum quod Epistola per *Phoeben Corinthiam* missa adparet, tum quod Paulus C. 16, 32. mittit salutationem sui hospitis *Caji*, qui *Corinthi* habitabat (*I. Cor. 1, 14.*), tum quod subscriptio graeca habet:

(*d*) *Hier. Epist.* 61. *ad Pammachium.*

Ἐγραφη απο Κορινθου = *Scripta a Corintho*. Videtur Epistola isthaec scripta anno 57°., vel initio an. 58. aerae vulgaris.

Linguam originariam hujus epistolae esse *graecam* et non *latinam*, liquet tum ex consensu omnium fere Interpretum, tum ex graecismis in illa occurrentibus, tum ex agendi ratione Interpretum, qui in dubiis de versione vulgata, mox ad textum graecum tamquam ad fontem recurrunt.

§. CXCIX.

Occasio proxima Epistolae ad Romanos.

449.) *Occasionem* proximam hujus exarandae Epistolae Paulo dedit gravis et perniciosa disceptatio *Romae* exorta inter Gentiles conversos et Judaeos christianos, utraque parte contendente, se prae altera vocationem ad fidem meruisse. Gentiles christiani gloriosius jactitabant suorum philosophorum doctrinam, virtutes morales, ut philosophiae partus, docilitatem in amplectenda fide, levitatem suorum peccatorum, utpote ex ignorantia potius quam ex malitia idololatriae commissorum, atque hinc Judaeos ut Christicidas adspernabantur.

Judaei conversi econtra magnificentius extollebant proavorum sanctitatem, suam in populum praedilectum electionem, promissionem Messiae suae genti factam, custodiam eloquiorum Dei ipsis concreditam, observationem legalium etc.; et hinc Gentiles ut Idololatras despiciebant.

§. CC.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

450.) Paulus igitur in hac Epistola versatur in eo, ut et Gentilibus et Judaeis conversis supercilium deprimat, ipsis ostendit, vocationem ad fidem, seu gratiam Christi, non attribuendam esse praecedentibus meritis, vel operibus legis naturalis aut mosaïcae, sed gratiae misericordiaeque Dei. Gentiles itaque et Judaeos in negotio salutis adaequat. Tandem postquam Apostolus de paucitate Judaeorum, qui Christi fidem amplexi erant, et de reliquorum obstinata caecitate verba fecit, C. 11, 25-27. Judaeos omnes tandem aliquando Christo nomen daturos esse praedicit.

C. 9, 6-24., scribit Doctor Gentium, *Jacobum* electum, *Esaü* vero reprobatum fuisse secundum propositum electionis, antequam aliquid boni aut mali egissent, Deum *Jacobum* dilexisse, *Esaü* autem odio habuisse, eum cujus vult misereri, et indurare vicissim, figulum ita eadem ex massa vas in honorem, et vas in contumeliam efficere. E quibus *Reformati* concludunt, Deum ita agere in negotio praedestinationis et reprobationis.

Ast ibi de praedestinatione ad gloriam et reprobatione aeterna non est sermo: loquitur ibi Apostolus de multorum Judaeorum rejectione a fide, et de Gentilium vocatione *ad Ecclesiam*, quam ad se solos pertinere Judaei pertinaciter adserebant; nulla enim inter Gentiles et Judaeos Romae commorantes tum movebatur controversia de dicta prae-

destinatione et reprobatione, sed de discrimine Gentiles inter ac Judaeos quoad vocationem ad fidem. Paulus, ut avertat objectionem quod Deus sit injustus, adducit exemplum *Jacobi* et *Esau* de electione ab *bona temporalia* ac de rejectione ab eis.

Ait haec Paulus 11. primis capitibus, quae *partem dogmaticam* hujus Epistolae constituunt. *Pars* altera *moralis* incipit cum capite 12°., et in ea Apostolus varias tradit instructiones, pacem, unitatem, et varias obligationes, praecipue erga praepositos civiles, inculcat, quid de legalium observantia tenendum sit, tradit etc.

Ex dictis liquet, *scopum* hujus Epistolae esse Gentilium et Judaeorum supercilium deprimere, docere, vocationem ad fidem gratiae Christi deberi, pacem ac concordiam inculcare, atque varias tradere instructiones.

De I. Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

§. CCI.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima I. Epistolae ad Corinthios.

451.) Scripta fuit haec Epistola *Ephesi*, metropoli Asiae minoris, ut patet ex *C. 16, 8.*, et non *Philippis* ut legitur in subscriptione graeca. Exarata autem fuit *graece* anno 56°. vel 57°. aerae vulgaris.

Condiderat Paulus *Corinthi*, Achaïae metropoli, Ecclesiam, sed post suum ex hac urbe discessum pseudodoctores subintroierant, qui doctrinam evangelicam corruperant; hinc

natae erant variae sectae christianae, quae suos asseclas habebant. Hi nomine sui antesignani gloriantes dicebant: *Ego sum Pauli, ego Apollo* etc. Christiani Corinthii ex Gentilibus Judaeisque conversis compositi, eloquentiae fastui, philosophicisque disputationibus adsueti, Paulum ut virum humilem et imperitum despiciebant, atque moribus corruptis erant, quod in hac urbe magnus numerus meretricum aleretur, unde Graeci dicebant *Κοϱινθιαζεται* = *Corinthiazare* pro *fornicari*; et *κοϱινθια κοϱα* = *puella corinthia* pro *meretrice*, immo Corinthius aliquis publice cum sua noverca incestuose vivebat.
Solebant primi fideles, ad Eucharistiam accessuri ad exemplum Christi communem coenam seu *Agapas* instituere, sed magni abusus in hasce agapas irrepserant, ita ut divites haud expectatis pauperibus, aut ad aliam mensam ab iis separati, cibis delicatis potibusque nimiis, et quidem usque ad temulentiam se ingurgitarent. Ostentabantur insuper dona Spiritus S., varia de statu conjugum, virginum etc. jactabantur. Cum Paulus haec percepisset ex domesticis mulieris *Chloës* (C. 1, 11.), et ex *Stephana*, *Fortunato* et *Achaïco* ad ipsum missis (C. 16, 15-17.), *Corinthiis* hanc I. Epistolam scripsit, quam verisimiliter misit per *Stephanam* ejusque socios (C. 16, 17.); ex quibus *occasio* proxima hujus Epistolae intelligitur.

§. CCII.

Argumentum et Scopus I. Epistolae ad Corinthios.

452.) *Argumentum* et *scopus* hujus Episto-

lae in hoc consistunt, quod Paulus introductos abusus tollere conetur, et respondeat ad quaestiones ipsi propositas sive verbotenus a domesticis *Chloës*, *Stephana* etc., sive per litteras quas *Stephana* ejusque socii attulerant.

Epistola haec in tres partes dividi potest; in I. parte, quae complectitur C. 1-C. 6., redarguit Corinthiorum factiones, sectas, ambitionem vanae sapientiae, fornicationes, conniventiam rectorum spiritualium erga incestuosum, morem litigandi fidelium, qui loco suas lites inter se componendi, adibant judices paganos. Incestuosum Corinthium ad tempus tradit satanae, seu excommunicat. Haec excommunicatio est primum exemplum axcommunicationis in Ecclesia.

In II. parte, quae continet C. 7-C. 15. respondet Paulus ad varias quaestiones, ex contentionibus docentium enatas, et ad ipsum perlatas, ut de conjugio, virginitate, delectu ciborum, et idolothytis, Apostolatum suum commendat, et agit de velamine mulierum, de coena eucharistica, de usu donorum Spiritus S., de excellentia charitatis, de resurrectione mortuorum etc.

Parte III., quae continetur C. 16°., commendat collectam in gratiam pauperum Christianorum Palaestinae, agit de suo adventu, de *Timotheo*, de *Stephana*, *Fortunato*, *Achïco* etc.

Ex C. 5, 9. et *II. Cor. 10, 10-11.* nonnulli concludunt, Paulum jam antea Corinthiis scripsisse epistolam, quae deperdita sit, alii vero haec de praesenti Epistola intelligunt.

Ex hisce liquet, *scopum* Pauli esse, se-

ctas et abusus inter Corinthios tollere, unitatem inter illos stabilire, et ad varias propositas quaestiones respondere.

De II. Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

§. CCIII.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima II. Epistolae ad Corinthios.

453.) Epistola isthaec scripta fuit juxta subscriptionem graecam *Philippis* in Macedonia; contendunt autem alii, eam exaratam fuisse *Thessalonicae*, et alii nonnulli *Troade*. Conscripta fuit *graece* nomine *Pauli* ac *Timothei* anno 57°. vel 58°. aerae vulgaris.

Occasionem proximam huic Epistolae dederunt relationes, quas *Titus*, Pauli discipulus, ei de Corinthiis adtulerat, Corinthiorum nempe multos per priorem Epistolam salutari dolore fuisse adfectos, sed omnes abusus non esse sublatos, et pseudoapostolos, observantias legales christianae religioni adnexas esse tradentes, Paulum adhuc criminari, quare Doctor Gentium II. hanc Epistolam ad Corinthios misit per *Titum* (*C. 8, 16-17.*).

§. CCIV.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

454.) *Argumentum* et *scopus* hujus Epistolae in hoc versantur: Paulus Corinthios aliquantulum consolatur, abusibus apud eos adhuc existentibus medetur, suumque Apostolatum vindicat.

In I. parte C. 1-C-7. contenta, se excusat, quod juxta promissa sua Corinthum non venerit, hortatur, ut incestuosus, qui resipuerat, communioni fidelium restituatur, Apostolatus sui instituit apologiam, quem comparat cum munere Moysis, ostenditque quantum gaudium sibi ex Corinthiorum conversione obvenerit.

Parte II. C. 8-C. 9. sollicite commendat collectam pro pauperibus Christianis Palaestinae faciendam, de qua jam in priori Epistola mentionem fecerat (N. 452.).

Parte III. seu C. 10-C. 13., perstringit pseudoapostolos, suamque commendat auctoritatem apostolicam, recensendo suos pro Evangelio exantlatos labores, facta egregia et revelationes, quas tamen modeste omnino refert, quin se nominet.

Ex quibus patet, *scopum* Apostoli esse, Corinthios consolari, residuos abusus tollere, et Apostolatus sui auctoritatem adversus pseudoapostolos stabilire.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Galatas.

§. CCV.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima Epistolae ad Galatas.

455.) Haec Epistola *graece* scripta fuit *Ephesi* anno 55°. aerae vulgaris; contendunt alii eam exaratam fuisse *Antiochiae* in Syria circa annum 50. aer. vulg., et alii, illam multo serius scriptam fuisse *Romae*, ut nonnullae subscriptiones graecae habent, quod tamen non est verisimile, quod Apostolus in

ipsa nullam mentionem facit de sua captivitate, prout ordinarie facit in Epistolis *Romae* scriptis, et quod exarata est paulo post *Galatarum* conversionem.

Paulus in *Galatia*, quae est provincia Asiae minoris, Ecclesiam fidelium stabilierat (*Act.* 16, 6. 18, 23.), sed post ejus discessum pseudoapostoli judaïzantes apud Galatas Pauli doctrinam corruperant, illisque persuaserant, circumcisionem, aliorumque legalium observantiam, cum doctrina Christi necessario conjungendam esse. Auctoritatem Pauli contrarium docentis enervaturi, effutiebant, illum cum Christo non fuisse, eum Apostolorum dumtaxat discipulum esse, ipsiusque doctrinam Apostolorum doctrinae, *Petri* praesertim, oppositam esse.

§. CCVI.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

456.) *Argumentum* igitur et *scopus* hujus Epistolae eo tendunt, ut Paulus suo Apostolatui divinam auctoritatem vindicet, et pseudoapostolorum doctrinam refellat. Hinc

In I. parte, quae complectitur C. 1-C. 3, dicit Galatis, se mirari, quod tam cito a vera fide defecerint, et vitam suam ad illud usque tempus peractam illis exponit, ait, se puram Christi doctrinam ipsis tradidisse, quam primi Apostoli adprobarant, se non ab hominibus, sed a Christo immediate suam doctrinam accepisse. Inutilitatem legalium observantiae ostendit, narratque se *Cepham*, seu Petrum, Antiochiae publice reprehendisse, eoquod se eo modo gereret acsi legalia observanda essent.

In parte II. C. 4-C. 6. Galatis suam inconstantiam exprobrat, illisque pseudoapostolorum pravas intentiones detegit. Caput rei probat exemplo *Abrahae*, qui filium *Ismaël* ex *Agar* ancilla susceptum rejecit, et *Isaac* ex *Sara* uxore progenitum haeredem instituit. Haec *partem dogmaticam* hujus Epistolae spectant, quae sequuntur sunt *moralia*. Galatas ad constantiam in vera fide, ad virtutem et justitiam hortatur, eos instruit quomodo se erga invicem, et erga pseudoapostolos gerere debeant etc.

Nulla Epistola Pauli est hac concitatior et vehementior, reprehendit Apostolus Galatas acerrime, ut quos ratio forte ab errore non revocaret, reduceret scribentis auctoritas. Scripta fuit haec Epistola manu propria Pauli C. 6, 11.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

§. CCVII.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima Epistolae ad Ephesios.

457.) Conscripta fuit haec Epistola *Romae sermone graeco*, tempore primae Pauli captivitatis (C. 4, 1. 6, 20.), circa annum 63. aerae vulgaris; atque *Ephesum* delata per *Tychicum* diaconum (C. 6, 21-22.).

Occasio proxima hujus Epistolae ex sequentibus intelligitur. *Ephesus*, urbs Joniae, Asiae minoris metropolis, et celeberrimum totius Asiae citerioris emporium, artibus magicis addictissima erat, ut satis liquet ex eo, quod *Ephesii* ad Pauli praedicationem tot libros ma-

gicos combusserint, ut eorum pretium juxta Lucam *Act.* 19, 19. ad quinquaginta millia denariorum (e) adscenderet, atque hinc *Ἐφέσια Γραμματα* = *Characteres Ephesii* in proverbium abierant, ad *characteres magicos* designandos.

Ephesus non minus dedita erat cultui idolorum, praesertim *Dianae Multimammiae*, quam graeci omnium animantium nutricem esse volebant (f).

Paulus ex hisce superstitiosis ac idololatris Ephesiis complures ad Christi fidem converterat. Perceperat autem Romae in carcere, verisimiliter ab *Epaphrâ* (N. 461.), Ephesios istos in primitivo suo fervore persistere, falsos autem doctores errores ipsis obtrudere conatos esse. Erant hi falsi doctores *Judaei* et *Philosophi pagani*, qui vocationem suam ad fidem etc. observantiae legis mosaïcae et legis naturalis adscribebant, *Pauli* aliorumque Apostolorum auctoritatem vellicabant, tradebant homines colere debere angelos ut mediatores Deum inter ac hominem, ut ita se ad-

---

(e) Si denarii isti sunt *romani*, et aequant. 10. sol. gallicos, ista 50,000. denariorum efficiunt 25,000. lib. gal.

(f) Extabat quondam Ephesi *Dianae* templum antiquissimum, sumptuosissimum ac vastissimum, et inter septem miracula mundi relatum. *Plinius* scribit (*Hist. Nat. L.* 36. *C.* 14.), templum hoc 220. annis, tota Asia ad illius sumptus ac laborem concurrente, esse extructum, ipsum 425. pedes longitudinis et 220. latitudinis habuisse, atque 127. columnis, pertotidem reges factis, et 60. pedum altitudinis, ornatum fuisse. *Erostratus*, seu *Eratostratus*, Ephesius obscurus, nomen suum immortalitate stolide donaturus, huic templo magnificentissimo ignem admovit nocte nativitatis *Alex. M.* 356. annis ante C. N.

versus malos spiritus praemunirent, conjugia ut quid illicitum habebant etc.

§. CCVIII.
Argumentum ac scopus hujus Epistolae.

458.) *Argumentum* igitur ac *scopus* hujus Epistolae collimant ad Ephesios in vera fide confirmandos, et contra pseudodoctorum errores praemuniendos. Itaque

In parte I., seu C. 1-C. 3., quae est *dogmatica*, describit Apostolus magnitudinem beneficii, quod Ephesiis per Christi religionem obvenerat, illos hortatur, ut in vera fide perseverent, et ad perfectionem proficiant, iis mysteria incarnationis, redemptionis, gratuitae praedestinationis, ac vocationis Gentilium aperit, atque ipsis in memoriam revocat, quales fuerint cum vitiis dediti impiis spiritibus servirent, qualesque sint modo a vitiis purgati, Christoque servientes. Monet ne adfligantur, quod pro Christo sit in vincula conjectus.

In parte II. C. 4-C. 6., quae est *moralis* praescribit varia officia, omnibus Christianis communia, exponit in particulari, quaenam sint officia conjugum, liberorum, dominorum, servorum etc.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses.

§. CCIX.
Locus scriptionis, lingua, aetas, et occasio proxima Epistolae ad Philippenses.

459.) Scripsit *Paulus* suo ac *Timothei* nomine hanc Epistolam *graeco idiomate Romae*

tempore primae suae captivitatis (C. *1*, 13. 2, 23-24. 4, 22.), circa annum 62. aerae vulgaris, ad urbis *Philipporum* fideles, *diaconos* et *episcopos*, hoc est *presbyteros*, cum Philippis plures haud essent episcopi.

Occasio proxima hujus Epistolae haec fuit: fideles *Philipporum*, quae est una ex primariis urbibus Macedoniae, a Paulo conversi, Apostolum maximo amore prosequebantur, eique *Thessalonicam* (*C.* 4, *15-18.*), *Corinthum* (*II. Cor. 11, 9.*), et tandem per *Epaphroditum* ejus cooperatorem, etiam *Romam* subsidium pecuniae (C. 2, 25. 4, 15-18.) miserant. Perceperat Apostolus ab Epaphrodito, dissidia nonnulla orta esse inter *Evodiam* et *Syntichen* (C. 4, 2-3.), atque discordias inter nonnullos Christianos circa doctrinam christianam (C. 2, 1-5.). Haec moverunt Paulum, ut hanc epistolam per Epaphroditum, e morbo Romae contracto convalescentem, ad Philippenses mitteret.

§. CCX.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

460.) *Argumentum* igitur, quod est fere totum *morale*, ac *scopus* Epistolae in hisce consistunt: laudat Paulus Philippenses de misso benevolentiae testimonio in illum, ac de suo fervore, illos consolatur de dolore, quem conceperant de ejus captivitate, et hortatur ad unionem, amorem mutuum, et ad conservationem purae doctrinae, ait, se Epaphroditum remisisse, missurum *Timotheum*, atque confidere, se ipsum venturum. Monet ut sibi caveant a judaizantibus, ut vitam Chri-

stianis dignam ducant etc., ac illis gratias agit de misso subsidio. Varia *doctrinam dogmaticam* spectantia variis locis inserta sunt.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Colossenses.

§. CCXI.

Locus scriptionis, lingua, aetas, et occasio proxima Epistolae ad Colossenses.

461.) Scripta fuit haec Epistola *Romae sermone graeco Pauli* ac *Timothei* nomine, durante prima captivitate Apostoli, circa annum 62. aerae vulgaris, atque *Colossas* delata fuit per *Tychicum* et *Onesimum*, ut liquet ex subscriptione graeca, et ex C. 4, 7-9.

Occasionem proximam illi dederunt sequentia: *Epaphras Colossis*, quae erat magna urbs Phrygiae *Laodicaeam* inter ac *Hierapolim* (g), verisimiliter Pauli discipulus, Ecclesiam fidelium condiderat (C. 1, 7. 4, 12-13.). Venerat *Epaphras* Paulum Romae vinctum invisurus, ac probabiliter de variis rebus consulturus. Paulus, qui Colossis non fuisse videtur (C. 2, 1.), ab eo didicerat, Colossenses ad Christi fidem esse conversos, sed pseudodoctores doctrinam Evangelii pervertere. Erant hi doctores partim *Simoniani*, qui tradebant, Jesum non esse salutis auctorem, et angelos, ut mediatores Deum inter ac hominem, esse colendos etc., partim *apostoli philosophi*, qui *Platonis* pricipiis innixi, fucatae philosophiae argutationibus, tum admodum vigentibus, pu-

---

(g) Hae tres urbes anno 66. aerae vulgaris terrae motu corruerunt.

ritatem fidei corrumpebant, atque partim *Judaei conversi*, qui legalium observantiam Colossensibus obtrudere conabantur.

§. CCXII.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

462.) Itaque *argumentum* et *scopus* Epistolae circa haec versantur: Parte I. C. 1-C 2., quae est *dogmatica*, Paulus Colossensibus suum gaudium ob susceptam ab iis fidem, fervorem etc. testificatur, *Epaphram* laudat, Jesumque unicum mediatorem Deum inter ac hominem dicit, per quem salus est obtinenda, monet ne se pseudoapostolorum magniloquentia seduci patiantur, et ut solum Jesum sequantur, qui omnibus angelis supereminet, et in quo conversi ac baptizati fuerant.

Parte II. C. 3-C. 4., quae est *moralis*, hortatur ad officia generalia Christianae religionis, ac ad particularia variorum statuum.

Cum Paulus C. 4, 16. dicat: *Cum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur: et eam quae Laodicensium est vos legatis*, existimarunt aliqui, Paulum Epistolam *ad Laodicenses* scripsisse; verum Apostolus loqui videtur de Epistola a Laodicensibus ad ipsum data, tum quia, si Paulus ad Laodicenses scripsisset, ipse eos in sua epistola salutasset, et non per Colossenses salutari curasset, ut *v.* 15. legitur, tum quia textus graecus habet loco, *eam quae Laodicensium est*: τηυ ἐκ Λαοδικειας = *eam ex Laodicaea* scriptam.

De I. Epistola B. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

§. CCXIII.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima I. Epistolae ad Thessalonicenses.

463.) Exaravit Paulus hanc Epistolam suo, *Silvani* seu *Silae*, ac *Timothei* nomine, *idiomate graeco Corinthi* anno 52°. aerae vulgaris, non vero *Athenis* ut subscriptiones *graecae*, *Syriacae* et *Arabicae* tradunt. Constat hoc ex illius *occasione* proxima, quae fuit isthaec.

Paulus *Thessalonicae*, in urbe Macedoniae metropoli, Ecclesiam fidelium instituerat (*Act.* 17, 1-4).). Inde a Judaeis pulsus, petiit *Beraeam*, ac postea *Athenas* (ib. 5-15.). Ex hac urbe misit *Timotheum Thessalonicam*, ut statum novae Ecclesiae Thessalonicensis inspiceret (*I. Thess. 3, 12.*). Rediit Timotheus mox ad Paulum, qui tum erat *Corinthi* (*Act. 18, 1-5.*), eumque de statu Thessalonicensium certiorem reddidit; quare Paulus *Corinthi* Im. ad Thessalonicenses dedit Epistolam.

§. CCXIV.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

464.) *Argumentum* hujus Epistolae versatur circa ea, quae Apostolus a Timotheo perceperat, Ecclesiam nempe Thessalonicensem bene esse constitutam, nonnullos autem fideles indigere instructionibus *de statu defunctorum*, *de adventu domini et de ultimo judicio*, ali-

quos esse inquietos, et quosdam indulgere otio.

Paulus igitur Thessalonicensibus gratulatur de sua in fide constantia, ait in aliis Ecclesiis honorificam de illa fieri mentionem, se non nisi aegre eos deseruisse, *Timotheum* ad illos misisse, ut de eorum statu relationes haberet, seque eas accepisse, illos instruit de *statu mortuorum, de adventu domini, ac de ultimo judicio.* Hortatur eos ad castimoniam, charitatem mutuam, diligentiam, et patientiam, atque ipsis varia officia particularia inculcat.

Scopus Pauli est, Thessalonicenses ad constantiam et perfectionem in fide excitare, dubios ac ignaros varia docere, et errantes leniter corrigere. Haec Epistola ordine temporis omnium *Epistolarum Paulinarum I.* communissime creditur (Conf. N. 455.).

De II. Epistola B. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

§. CCXV.

Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima II. Epistolae ad Thessalonicenses.

465.) Scripsit Paulus hanc Epistolam, ut priorem, *graece* suo, *Silvani*, seu *Silae*, et *Timothei* nomine circa annum 53. aerae vulgaris *Corinthi*, non vero *Athenis* ut subscriptio graeca habet, nec *Laodicaeae* in Pisidia ut versio syriaca legit; nam Apostolus remansit sesqui anno *Corinthi*, et *Silas* ac *Timotheus*, quorum nomine haec Epistola, ut I. est exarata, adhuc cum illo erant quando hanc Epistolam scripsit.

Occasio proxima Epistolae haec fuit. Jam in I. Epistola ad Thessalonicenses Paulus mentionem fecerat de erronea quorumdam opinione circa diem ultimi judicii. Post adventum illius Epistolae Thessalonicam pseudodoctores adhuc acrius contendebant, diem ultimi judicii instare, sive quod priorem Epistolam relate ad hunc diem male intellexissent, sive, ut ex *C.* 2, *2. C.* 3, *17.* sequi videtur, quod jactitarent revelationem aliquam, et epistolam Paulo perperam attributam. Paulus igitur hosce pseudoapostolos coërciturus, eorumque errores correcturus, hanc II. ad Thessalonicenses dedit Epistolam.

§. CCXVI.

Argumentum et scopus hujus Epistolae.

466.) Hortatur Apostolus Thessalonicenses, ut inter adflictiones in suscepta fide constantes permaneant, monet ne audiant istos pseudodoctores, qui tradebant, ultimum judicii diem jam jam instare, insinuatque ante hunc diem futuram universalem fere desertionem fidei, ac dein venturum Antichristum. Reprehendit inquietos ac otiosos, eosque ad quietam, christianam ac laboriosam vitam agendam hortatur. Tandem dat signum ex quo ejus Epistolae dignoscantur C. 3, 17.

De I. Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

§. CCXVII.

Timotheus.

467.) *Timotheus Lystris* in Lycaonia ex patre gentili, et matre *Eunice* Judaea natus (*Act.* 16, 1. *II. Tim.* 1, 5.), in christiana religione a sua matre, et avia *Loide* instructus fuerat (*II. Tim.* 1, 5.). Paulus illum Lystris sibi socium praedicationis et laboris adjunxit, sed ut illum conversioni Judaeorum majori cum fructu adhiberet, ipsum antea circumcidit (*Act.* 16, 3.). Timotheus Doctorem Gentium in omnibus fere itineribus comitatus est, illiusque nomine varias visitavit Ecclesias, ut *Thessalonicensem* (*I. Thes.* 3, 2.), *Philippensem* (*Phil.* 2, 19.) et *Corinthiam* (*I. Cor.* 16, 10.).

Tandem Paulus Timotheum *Ephesi* Episcopum reliquit, ut curam Ecclesiarum Asiae gereret, et ad illum duas scripsit Epistolas.

§. CCXVIII.

Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima et scopus I. Epistolae ad Timotheum.

468.) Scripsit Paulus hanc Epistolam *idiomate graeco*, verisimiliter in quarto itinere per *Macedoniam* circa annum 64. aerae vulgaris. Subscriptio graeca tradit, eam scriptam fuisse *Laodicaeae, quae est metropolis Phrygiae Pacatianae.*

Occasionem proximam huic Epistolae dedit zelus Pauli Timotheum plenius in munere

pastorali, regimine et disciplina Ecclesiae instruere cupientis; quare ejus *scopus* patescit.

§. CCXIX.

Argumentum hujus Epistolae.

469.) Apostolus Timotheum ut collegam monet, ut a pseudodoctoribus eorumque erroribus sibi caveat, ut strenuum agat militem, aitque, se *Hymenaeum* et *Alexandrum* ex Ecclesia ejecisse. Docet pro principibus, licet ethnicis, orandum esse: quod scilicet ordo civitatis, et publica status tranquillitas ab eis pendet. Tradit quinam in *episcopos*, *presbyteros*, et *Diaconos*, ac quaenam mulieres in *Diaconissas* (*h*), eligi debeant, quasque

---

(*h*) *Diaconissarum* origo proinde ab Apostolis repetenda est. Paulus *Rom.* 16, 1. vocat *Phoeben*, *ministram* Ecclesiae Cenchreensis *Διακονον* = *Diaconon*. *Plinius* junior loquitur *L.* 10. *Ep.* 97. *ad Trajanum* de duabus feminis christianis, quas *ministras* nuncupat. Hae *Diaconissae* ab initio non nisi *viduae* unius viri, et 60. annorum erant. Hasce conditiones Paulus de eis requirit *I. Tim.* 5, 9. Postea autem etiam *virgines* perpetuae *Diaconissae* factae sunt. De Virginibus Diaconissis meminit *S. Ignatius M. Epist. ad Smyrn.* Labentibus annis *Concilium Chalcedonense* an. 451. *Can.* 15. sancivit, Diaconissas 40. annorum eligi posse. Diaconissae postea abolitae fuerunt, sed non ubique eodem tempore. In Galliis suppressae fuerunt per *Conc. Epaunense* an. 517., et per *Conc. Aurelianense II.* an. 533.
Diaconissarum munera erant, 1. sacerdotibus feminas baptizantibus praestare operam, ut sexus pudori consuleretur, cum babtisma ea aetate per immersionem fieret, 2. Cathecumenas domi religionem docere. 3. mulieres aegrotantes invisere, 4. martyribus ac confessoribus pro fide detentis opem adferre, dum Diaconi eos adire haud poterant, 5. stare ad ecclesiae portas, per quas mulieres ingrediebantur et suum cuique locum in

dotes habeant oportet. Docet qualiter familiae episcoporum debeant esse compositae, quid in coetibus ecclesiasticis deceat viros, quidque mulieres. Agit de cibis, de conjugio, de exercitio virtutis, monet Timotheum, ut pseudodoctores refellat etc.

Cum Paulus in *I. et in II. epistola ad Timotheum*, et in illa ad *Titum*, varias regulas pastoribus Ecclesiae tradat, variaque pro primitivo Ecclesiae regimine praescribat, quae per istas tres Epistolas pro nata occasione sparsim collocata sunt, tres istae Epistolae conferendae sunt, ut quae in una relate ad idem objectum haud plene descripta sunt ex alia suppleantur.

---

ecclesia adsignare. Diaconissae ad haec officia destinabantur per manuum impositionem, quam ab episcopo cum velo particulari recipiebant; haec autem manuum impositio non sacramentum, sed simplex caeremonia erat benedictionis adinstar. Diaconissarum consecrationes commemorat saec. XI. *Joannes* XIX. in litteris ad episcopum *Sylvae Candidae* (apud *Mabillonium Musaeum Ital.* Vide *Morinum de ordinandis Latinorum Graecorumque Diaconissis. De Sac. ordinat. Par.* 3. *exerc.* 10. *C.* 1.).

Graeci modo *Diaconissas* vocant uxores *diaconorum*, et antiquitus quandoque Diaconissae adpellabantur Diaconorum conjuges, ante diaconatum ductae, sicut presbyterorum ac Episcoporum uxores, ante ordines sacros ductae, nuncupabantur *Presbyterae* et *Episcopae*, atque huc spectat *Conc. Turonense II. Can.* 13. *et* 19. ac *Conc. Antisiodorense Can.* 21. (*Collect. Conc. Labbaei*).

De II. Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

§. CCXX.

Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima et scopus II. Epistolae ad Timotheum.

470.) Scripta fuit haec Epistola *Romae sermone graeco* circa annum 65m. aerae vulgaris tempore secundae captivitatis Apostoli, ut liquet, quod *C. 4, 6.* de sua morte ut imminente loquitur.

Occasio hujus Epistolae fuit Pauli desiderium charissimum suum discipulum Timotheum ante mortem adhuc semel videndi, quare etiam eum *Romam* vocat, et *scopus* Epistolae perspicitur.

§. CCXXI.

Argumentum hujus Epistolae.

471.) Scribit Paulus, quod Timothei continuo recordetur, ac de illius zelo sit convictus, illum hortatur ad perseverantiam, et exactam adimpletionem sui muneris, ipsum confortat, ne persecutionibus detereatur, sed suo exemplo ad martyrium praeparetur, praedicit venturos pseudodoctores, qui sub praetextu religionis multa mala praestituri sunt. Timotheum dein urget, ut quam citissime *Romam* se conferat, et *Marcum* comitem sui itineris adsumat. Illi significat, imminere diem suae mortis, *Lucam* solum secum esse, ac rogat, ut pallium, quod *Troade* reliquerat, secum Romam ferat etc. Haec Epistola ab antiquis Patribus ut *Pauli Testamentum* habita fuit.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Titum.

§. CCXXII.

Titus.

472.) *Titus* ex gentilibus parentibus natus (*Gal.* 2, 1, 3.), post suam conversionem Pauli socius ac itinerum comes fuit. Paulus, orta quaestione de legalium observantia illum secum Hierosolymam duxit (*loc. cit.*), eumque misit negotiorum Ecclesiae causa *Corinthum* (*II. Cor.* 7, 6, 15.), quo Titus et secunda vice, rogante Paulo, profectus est, II. ad Corinthios deferens Epistolam (*loc. cit. C.* 8, 16-17.). Ad Paulum venit Romam, unde ab illo *in Dalmatiam* fuit missus (*II. Tim.* 4, 10.). Constitutus fuit a Paulo episcopus insulae *Cretae*, modo *Candiae* vocatae, ubi Paulus eum jussit constituere *per civitates presbyteros*: id est *episcopos* (*Tit.* 1, 5.): *Eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros adpellabant*, ait *Hieronymus* (in hunc locum.)

§.CCXXIII.

Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, scopus et argumentum Epistolae ad Titum.

473.) Scripta fuit haec Epistola juxta subscriptionem graecam *Nicopoli* in Macedonia, at juxta C. 3, 12. Paulus in itinere Nicopolim versus illam scripsisse videtur, finita prima ejus captivitate circa annum 64. aerae vulgaris. Lingua hujus Epistolae est *graeca*. Occasionem huic epistolae dedit zelus Pau-

li Titum plenius instruendi; quare ejus scopus patet.

Argumentum Epistolae simile est argumentis Epistolarum ad Timotheum, praesertim argumento I. Epistolae. Scribit Paulus, ut quae ipse apud Cretenses inceperat, Titus absolvat, et per civitates constituat episcopos. Dotes episcopi idonei praescribit, monet Titum, ut pseudodoctoribus fortiter resistat, et officia variarum personarum ac aetatum tradit, addens, a Christianis obedientiam praestandam esse principibus et magistratibus etiam ethnicis. Inculcat Christianis modestiam, mansuetudinem etc. et Titum accersit *Nicopolim*.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Philemonem.

§. CCXXIV.

Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, argumentum et scopus Epistolae ad Philemonem.

474.) Scripsit Apostolus hanc Epistolam *Romae*, circa finem primae suae captivitatis versus annum 61. aerae vulgaris, *idiomate graeco*.

Occasionem illi dedit *Onesimus* quidam, servus *Philemonis* civis probissimi Colossensis (*Col.* 4, 9.), a Paulo ad fidem conversi (*H. Ep.* v. 19.). Hic Onesimus, Philemoni rebus quibusdam furto substractis, *Romam* fugit, ubi divina disponente providentia, a Paulo conversus et baptizatus fuit (*v.* 10.). Apostolus, Onesimum invito Philemone Romae retinere nolens, (*v.* 13-14.), ipsum ad herum

suum remisit eique, ut a Philemone obtineret veniam, hanc ad Philemonem dedit Epistolam. E quibus ejus *Argumentum* et *Scopus* intelliguntur.

Veteres nonnulli de canonica auctoritate hujus Epistolae dubia moverunt, male praetexentes ejus brevitatem, simplicitatem, argumenti humilitatem, et stili diversitatem, quae ab *Hieronymo* (*i*), *Chrysostomo* (*k*), aliisque antiquis Patribus soluta fuerunt. Epistola isthaec tenerrimam christianae amicitiae charitatem spirat.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebraeos.

§. CCXXV.

De auctore Epistolae ad Hebraeos. Difficultates adversus Paulum qua ejus auctorem.

475.) Epistola ad Hebraeos a *Graecis* Paulo constanter adscripta fuit, a *Latinis* autem usque ad saeculum V. non ita; ex hisce enim alii eam *S. Clementi*, alii *S. Barnabae*, alii *S. Marco*, alii *S. Lucae*, et alii *S. Paulo* attribuerunt. *Hieronymus* ait: *Epistolam ad Hebraeos omnes Graeci suscipiunt, et nonnulli Latinorum* (*l*).

Cum Epistola isthaec quoad substantiam et ideas caeteris Epistolis Pauli sit conformis, quoad stilum autem differat, *Origenes* (*m*),

---

(*i*) *Hier. in Epist. ad Philem.*
(*k*) *Chrys. Ibid.*
(*l*) *Hier. Epist.* 126. *ad Evagrium.*
(*m*) *Orig. apud Euseb. L.* 3. *C.* 25.

ac nonnulli veteres existimarunt, sententias ejus esse Pauli, earum vero collectionem ac compositionem alterius.

Rationes ob quas haec Epistola a multis Occidentalibus Paulo abjudicata fuit, sunt

1°. Quod aliae Epistolae Pauli ejus nomen ac salutationem in fronte gerant.

2°. Quod stilus et elocutio in aliis Apostoli Epistolis differant a stilo et elocutione hujus Epistolae.

3°. Quod lingua graeca hujus Epistolae magis accedat ad graecum idioma Actuum Apostolorum *Lucae*, quam ad linguam graecam Epistolarum *Pauli*.

§. CCXXVI.

Solutio Difficultatum.

476.) Verum rationes istae intentum non evincunt. Multi Latini Epistolam istam Paulo abjudicasse videntur, quod *Novatiani* Saec. III°. ex male intellectis capitibus 6°. ac 10°. suos errores de *poenitentia* adstruere conarentur, et *Ariani* saec. IV°. nonnullis abuterentur ad suam haeresim circa divinitatem J. C. stabiliendam. Hisce factum videtur, ut Epistola isthaec nonnullis Latinis suspecta videretur (*n*); ast haec suspicio cum saeculo V°. disparuit.

1°. autem positio nominis Pauli ejusque salutatio *in fronte Epistolae* non sunt signum characteristicum Epistolarum Paulinarum, sed

---

(*n*) Conf. *Hier. Lib.* 2. *adv. Jovinian. N.* 3., *et Catal. Script. Eccles. Cajus.*

salutatio in aliqua parte Epistolae, ut Apostolus ipse notat *II. Thess. 3, 17: Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo.* Pauli autem salutatio ad finem Epistolae ad Hebraeos reperitur.

Ratio cur Paulus nomen suum in fronte hujus Epistolae non posuit, videtur esse, quod proxime Gentium esset Apostolus, et non Hebraeorum, et quod nollet multos Judaeos christianos, qui illi haud favebant, per positionem sui nominis in principio Epistolae ab ejus lectione avertere.

2°. Differentia stili et elocutionis, quae inter hanc et alias Epistolas Pauli reperitur, oritur exinde, quod Epistola haec originetenus scripta sit *hebraïce* seu *syro-chaldaïce*, dum aliae Epistolae *graece* exaratae sunt, ita ut textus graecus Epistolae ad Hebraeos non sit nisi versio textus originarii; magna autem differentia est inter linguam originariam alicujus scripti et inter versionem.

3°. Affinitas vero versionis graecae hujus Epistolae cum lingua graeca Actuum Apostolorum obtinet, quia, ut jam olim tradidit *Clemens Alex.* (*o*), *Lucas*, Actuum Apostolorum auctor, hanc Epistolam pro Graecis ex sermone hebraïco in linguam graecam traduxit.

Dubium Latinorum de authentia hujus Epistolae generale non fuit, et saeculo V°. cessavit; *a*) nam *Clemens Rom. Pauli* contemporaneus, in sua epistola ad *Corinthios* multa ex Epistola ad *Hebraeos* verbotenus refert praesertim *C. 1, 3-9.* (*p*), *Irenaeus*, qui sae-

(*o*) *Apud Euseb. L.* 16. *C.* 14.
(*p*) *Apud Euseb. L.* 3. *C.* 32.

culo II°. et *Tertullianus*, qui eodem saeculo vixit, canonicitatem ipsius agnoverunt, licet *Tertullianus* eam sub nomine *Barnabae* citet (*q*). *b*) Hanc epistolam dein ex Latinis ut canonicam agnoverunt *Hilarius*, *Lucifer Calaritanus*, *Ambrosius*, *Ruffinus*, *Augustinus*, *Salvianus*, *Cassianus*, *Innocentius I.*, *Hilarius Diaconus* seu *Ambrosiaster*, *Phaebadius*, *Concilia Iconiense* an. 393., *Carthaginense* an. 397. et 419., ac deinceps omnes alii Patres Ecclesiae (*r*).

Epistolam ad Hebraeos opus genuinum esse S. *Pauli* evincunt ipsius characteres intrinseci, nam *a*) in ea, ut in omnibus aliis Epistolis, praeterquam in illis ad *Galatas* et ad *Titum*, charissimi sui *Timothei* mentionem facit: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum*, ait *C. 13, 2-3.*, *b*) illam eodem fere modo ac alias concludit per *votum*: *Deus pacis*, inquit, *aptet vos in omni bono C. 13, 20.*, per *salutationem*: *Salutate*, ait, *omnes praepositos vestros, et omnes sanctos C. 13, 24.*, et tandem per verba illa, quae in omnibus fere Paulinis Epistolis leguntur: *Gratia cum omnibus vobis amen C.* 13, *25.*

c) *Petrus* ad Hebraeos scribens II. *Epist.* 3, 15. illis: *Charissimus*, inquit, *frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis* etc.

(*q*) *Iren. apud. Euseb. L. 5. C. 26.*

(*r*) *Hilar. L. 4. de Trinit. Lucif. in tract. de non conv. cum haeret. Ambr. L. 1. de fide. Ruf. in exposit. Symb. Aug. L. 2. de Doctr. Christ. in Catal. Lib. S. Salv. L. 4. ad Eccl. Cath. Cass. coll. 1. Innoc. Epist. ad Exup. Hil. in Epist. ad Titum. Phaeb. L. contra Arianos.* Vide N. 10.

Cum nulla Epistola Pauli ad Hebraeos cognoscatur, quam illa nostrorum Bibliorum, oportet Petrum de illa locutum esse.

§. CCXXVII.

Locus scriptionis, aetas, et lingua Epistolae ad Hebraeos.

477.) Scripta fuit haec Epistola in *Italia* (*C.* 13, 24.), verisimiliter *Romae.*

Ex collatione *C.* 10, 34., cum *C.* 13°, 23-24. liquet, eo tempore primam Apostoli captivitatem finitam fuisse, et Paulum adhuc in Italia fuisse, quare hanc Epistolam circa annum 63m. aerae vulgaris exaratam esse oportet, cum eo tempore prima ejus captivitas finem habuerit.

Lingua originaria hujus Epistolae est *hebraïca* seu *syro-chaidaïca*, Pauli patria, et in Palaestina tum temporis adhuc vulgaris, ut ex sermone hebraïco ab Apostolo Hierosolymis ad populum habito constat *Act.* 24, 40.

Epistolam hoc idiomate exaratam fuisse patet *a*) ex differentia notabili, quae inter stilum hujus Epistolae, stilumque aliarum Epistolarum Apostoli reperitur, *b*) ex convenientia, ut Paulus Hebraeus ad Hebraeos scriberet hebraïce; hinc ait *Hieronymus* : *Paulus scripsit ut Hebraeus Hebraeis hebraïce* (*s*). *c*) Ex *Clemente Alex.*, *OEcumenio Theodoreto*, et multis aliis scriptoribus ecclesiasticis.

Lucas autem indivisus Pauli in conversione Gentilium comes, qui tempore scriptionis hujus Epistolae adhuc cum Apostolo ve-

---

(*s*) *Hier. de Script. Eccles. Paulus.*

risimiliter *Romae* fuit, et qui eodem tempore Romae scripsit *Actus Apostolorum* (N. 443.), hanc Epistolam pro Gentilibus conversis ex lingua hebraea in graecum idioma vertisse creditur, ob similitudinem linguae graecae Actuum Apostolorum cum graeca versione hujus Epistolae. Et praecise quod versio ista paulo post scriptionem hujus Epistolae facta est, haec textui originario praevaluit, ita ut hic post aliquod tempus deperditus sit. Exinde autem quod Epistola isthaec in linguam graecam mox traducta est, intelligitur etiam cur citationes V. F. juxta versionem LXX. Interpretum adlegentur, et nonnulla verba hebraïca explicentur.

§. CCXXVIII.

Occasio proxima, argumentum et scopus Epistolae ad Hebraeos.

478.) *Occasionem* hanc Epistolam exarandi Paulo dederunt persecutiones, quas Judaei in Palaestina, et praesertim Hierosolymis in Judaeos conversos exercebant (*C. 10, 34.*), atque periculum apostasiae, in quo Judaei tum versabantur, insusurrabant enim illis pseudoapostoli, legalia Moysis et obligatoria et salvifica esse, et hinc in tanta persecutione non esse adhaerendum Evangelio licet optimo salutis medio.

Quare *Argumentum* Epistolae hoc est: inculcat Apostolus necessitatem fidei; et pseudoapostolorum praetextus refellit. Cum isti pseudodoctores in excellentiam legis mosaïcae adlegarent *a*) angelorum dignitatem ac excellentiam, quorum ministerio lex ista facta

erat, Paulus Hebraeis conversis ob oculos ponit dignitatem ac excellentiam Christi, auctoris promulgatorisque Novae Legis, infinite superiorem esse dignitati et excellentiae angelorum (C. 1-C. 2.). Cum praetexerent *b*), excellentiam Moysis, ut legati divini, qui legem Dei promulgarat, Paulus ostendit, excellentiam Christi illa Moysis esse infinite majorem (C. 3-C. 5, 1-9.). Cum *c*) obtenderent dignitatem sacerdotii *Aaronis*, tabernaculi et sacrificiorum V. F., Apostolus (C. 5, 10-C. 13.) ostendit, summum sacerdotium Christi, quem in persona *Melchisedech* describit, esse infinite majus illo Aaronis. Agit de sacrificiis V. et N. F., de eorum efficacia, de tabernaculo, et evincit, novam legem Christi infinite eminere legi veteri. Ostendit necessitatem fidei ad salutem, atque hortatur Hebraeos ne in observantiam legalium relabantur, sed in suscepta fide Christi fideliter perseverent.

E quibus liquet, *Scopum* Pauli esse, Hebraeos in Christi fide confortare, et ab imminenti periculo apostasiae praeservare (*t*).

Epistolas Paulinas sequuntur septem *Epistolae diversorum Apostolorum*, quae cum res omnibus fidelibus communes contineant, *Catholicae* seu *Universales* vocitantur.

(*t*) In Epistolas D. Pauli legi meretur *Analysis Epistolarum B. Pauli Apostoli ad usum Seminarii Sylvae-Ducensis. Lovanii* 1816.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

§. CCXXIX.

De auctore et auctoritate canonica Epistolae Jacobi.

479.) Nonnulli Epistolam hanc *Jacobo fratri*, seu cognato, J. C., qui a *Jacobo* minori distinctus ponitur, adscripsere.

Tres *Jacobi* in N. F. occurrere videntur, I. est *Jacobus Major*, *Zebedaei* filius, fraterque Joannis Evangelistae (Matth. 4, 21.), qui *Herodis Agrippae* jussu diu ante scriptionem hujus Epistolae occisus fuit (*Act. 12, 2.*). II. est *Jacobus minor*, ita nuncupatus quod post priorem a Christo ad Apostolatum vocatus fuit. Fuit hic *Alphaei*, seu *Cleophae*, filius (*Math. 10, 3. Joan. 19, 25. Marc. 15, 40.*). III. *Jacobus frater Jesu* (*Math. 13, 55.*), quem habent alii ut *fratrem Christi*, ex conjugio Josephi cum prima uxore natum (*u*), et alii simpliciter ut *cognatum Jesu*, ex *Maria* Cleophae uxore progenitum (Conf. *Math. 13, 55. ac Joan. 19. 25. cum Marc. 25, 40.*). Cum autem *Paulus* (*Gal. 1, 19.*) *Jacobum fratrem Domini* vocet Apostolum, oportet *Jacobum minorem* ex *Alphaeo*, seu *Cleopha* patre (Matth. 10, 3.), et *Maria Cleophae* uxore (*Joan. 19, 25. coll. cum Marc. 15, 40.*) eamdem esse personam cum *Jacobo fratre Jesu* seu cognato (*Matth. 13, 55.*), proinde auctorem nostrae Epistolae (Conf. N. 491.).

Objecerunt equidem, auctorem Epistolae se

(*u*) Conf. *Hier. de Script. Eccles. Jacobus.*

initio non vocare *Apostolum*, sed Epistolam incipere per: *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus* etc.

Verum etiam Paulus in Epistolis ad *Thessalonicenses*, *Philippenses* et *Philemonem* se *Apostolum* non inscribit.

Jacobus forte se Apostolum non vocat, quod ut Episcopus Hierosolymitanus continuo Hierosolymae commoraretur contra morem aliorum Apostolorum, et quod Judaeis conversis aliunde sat notus esset. Caeterum in aliquibus codicibus graecis, in ipsa *Bezae* editione, atque in *versionibus syriaca*, *arabica* et *aethiopica* nomen *Apostoli* in fronte hujus Epistolae legitur.

Dixerunt alii, auctorem Epistolae contradicere *S. Paulo* in doctrina de lege ac bonis operibus.

Verum Jacobus loquitur de lege naturae et de lege Christi, et Paulus de lege Mosaïca.

Quorumdam dubium de auctore hujus Epistolae quondam consequenter genuit nonnullorum dubium de ejus auctoritate canonica. *Hieronymus* de *Jacobo minore*, Apostolo, scribit: *Unam scripsit Epistolam, quae de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem* (v).

De mente *Eusebii* varia est eruditorum sententia. Quidquid vero sit, testatur *Eusebius* (x), hanc Epistolam suo tempore in pluri-

(v) *Hier. de Script. Eccles. Jacobus.*
(x) *Euseb. L. 2. C. 23.*

mis Ecclesiis lectam fuisse, et sub finem saeculi V. cessavit dubium de ejus canonica auctoritate, quae semper a potiore parte Patrum fuit agnita, ut a Patribus N. 9-13. citatis, et ab *Origene*, *Concilio Milevitano*, *Cypriano*, *Athanasio*, *Ephrem Syro*, *Gregorio Naz.*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, *Augustino*, *Hesychio*, *Gregorio M.*, *Cassiodoro*, *Isidoro* etc. (*y*).

§. CCXXX.

Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus hujus Epistolae.

480.) *Jacobus minor*, episcopus Hierosolymitanus, juxta testimonia antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, *Hierosolymam* numquam reliquit (Conf. *Gal. 1, 18, 19. Act. 15, 12-13. 21, 18.*); quare ejus Epistola *Hierosolymis* scripta fuit, *idiomate graeco* circa annum 58-63. aerae vulgaris.

Occasionem huic Epistolae dederunt persecutiones, quas Judaei a morte *Stephani*, protomartyris, in alios Judaeos conversos exercebant, atque doctrina nonnullorum pseudodoctorum.

Argumentum igitur et *Scopus* Epistolae in hoc consistunt. Intendit Jacobus Christianos, et praesertim Judaeos conversos, per Palaestinam aliasque regiones dispersos, a pericu-

---

(*y*) *Orig. Hom.* 7. *in Josue. Conc. Mil. Can.* 7. *Cypr. L. ad Novatianum. Athan. L. de decret. Syn. Nicaen.* 7. *Epist.* 1:4. *Ephrem Serm. de poenit. Greg. Naz. Serm.* 28. *Hier. Epist. ad Paulin. Chrys. L.* 3. *de sacerd. Aug. in Ps.* 31. *Epist.* 29. *L.* 2. *de Doctr. Christ. Hesych. in Levit.*

lo apostasiae, et a pernitiosa pseudodoctorum doctrina praeservare. Agit itaque de patientia Christianis in variis tentationibus seu periculis, quibus expositi erant, necessaria C. 1.

Castigat exceptionem personarum, qua Christiani nonnulli divites in suis conventibus religiosis aliis praeferebant, monetque Christianum fidem suam per bona opera externa manifestare debere C. 2.

Docet linguam domandam esse, eoquod loquacitas multa mala parit, et ostendit in quo vera consistat sapientia C. 3.

Indicat unde proficiscantur eorum discordiae, hortatur ad humilitatem, ad fugam judiciorum temerariorum etc. C. 4.

Loquitur de infortuniis in divites ac avarros ruituris, de patientia, de fuga jurisjurandi, de *extrema unctione infirmorum*, de peccatis invicem confitendis, de efficacia orationis justi, ac de meritis peccatores convertentium C. 5.

DE I. EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI.

§. CCXXXI.

Petrus.

481.) Petrus, antea *Simon* vocatus, *Bethsaïdae*, in vico Galilaeae (*Joan.* 1, 44.) patre *Jona* seu *Joanne* (*ib. v.* 42.), natus, frater *Andreae* Apostoli fuit (*ib. v.* 40.), ac inter primos Christi discipulos electus fuit (*Matth.* 4, 18-20.). Christus ei per Andream ad se adducto nomen *Simonis* in nomen *Cephae* mutavit, quod syriace *petram* significat (*Joan.* 1, 42.). Zelo ardenti et amore in-

genti in Christum eminuit (*Matth.* 14, 28-29. 26, 51. *Joan*, 21, 7.); quare Christus illum Principem Collegii Apostolici, caputque Ecclesiae constituit (*Matth.* 16, 15-19.). Petrus Antiochenam condidit Ecclesiam, fidem praedicavit in *Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, *Asia* et *Bithynia*, ut ex ejus I. Epistola C. 1, 1-2., ex *Hieronymo* (z), et ex *Eusebio* (a) constat. Testibus hisce auctoribus aliisque (b), *Romam* venit, quo sedem suam pontificiam transtulit, et ubi anno 66. aerae vulgaris capite in terram verso in crucem actus fuit. Ut Apostolorum Principis labores, zelus, potestas miraculosa, atque merita adcuratius noscantur, legantur *Act. Apost.* C. 1, 15-22. C. 2, 14-40. C. 3. C. 4. C. 5. C. 8, 14-23. C. 9, 32-43. C. 10. C. 11, 1-18. C. 12, 1-17. C. 14, 7-29.

§. CCXXXII.

Locus scriptionis, lingua et aetas I. Epistolae Petri.

482.) Ex C. 5, 13. colligitur, hanc Epistolam scriptam esse *Babylone*. Per hanc urbem intelligunt alii antiquam *Babylonem*, alii novam Babylonem, *Seleuciam* et *Ctesiphontem*, alii tandem mysticam Babylonem, *Romam*, quae ultima urbs ob similitudinem ejus idololatriae et corruptionis moralis cum antiqua *Babylone* Christianis sub nomine Babylonis cognita fuisse videtur (Conf. *Apoc.* 16, 19. 18, 2, 10.

(z) *Hier. de Script. Eccles. Petrus.*

(a) *Euseb. L.* 3. *C.* 1.

(b) *Vide Iren. adv. haeres. L.* 3. *C.* 1, 3. *Tertul. de praescript. C.* 36.

Lingua originaria hujus Epistolae est *graeca;* delata fuit per *Silvanum*, seu *Silam* (*C. 5, 12.*), post Petri Hierosolymis discessum, circa annum 63. aerae vulgaris, ad Christianos dispersos in *Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, *Asia* ac *Bithynia* (*C. 1, 1.*). Petrum hanc Epistolam direxisse ad Christianos e Judaïsmo et Gentilismo conversos patet 1°., quod C. 3, 6. mulieres christianas vocat *Sarae filias*, et 2°., quod C. 4, 3. Christianos ut quondam idolorum cultores respicit.

§. CCXXXIII.

Occasio proxima, argumentum et scopus hujus Epistolae.

483.) *Occasionem* huic Epistolae dedisse videntur persecutiones, quibus Christiani tum expositi erant; quare *argumentum* et *scopus* collimant ad Christianos in Christi religione a defectione praeservandos.

Petrus consequenter exhibet dignitatem christianae religionis, fidelesque hortatur ad vitam christiano nomine dignam ducendam, ac ad mutuam charitatem exercendam. Monet ut officiis suis rite fungantur, ne detrectent obedire magistratibus licet ethnicis, atque ne servi negent obedientiam suis heris quamvis gentilibus. Hortatur Apostolus mulieres, ne maritos suos etsi paganos contemnant, virosque admonet, ut conjugibus suis deferant. Exemplo Christi ad malorum tolerantiam provocat. Invitat ad sobrietatem, vigilantiam, orationem, hospitalitatem etc. Instruit episcopos, et fideles illis subjectos. Tandem Christianos salutat nomine *Ecclesiae Babylonis*, ac nomine Marci.

DE II. EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI.

§. CCXXXIV.

Auctor hujus Epistolae.

484.) De auctore et auctoritate hujus Epistolae olim disputatum fuit, 1°. quod scriptores ecclesiastici saeculi I. et II. ad illam non provocaverunt, 2°. quod stilus ejus diversus est a priore Petri Epistola, quod 3°. *Origenes* ait (*c*), de illius auctoritate disputari. *Hieronymus* de Petro: *Scripsit*, inquit, *duas Epistolas . . . quarum secunda a plerisque ejus esse negatur* (*d*). *Didymus*: *Non est ignorandum*, scribit, *praesentem Epistolam esse falsatam, quae licet publicetur, non tamen in Canone est* (*e*). *Eusebius*: *Quae vero secunda* (Petri) *adpellatur*, inquit, *eam quidem inter Sacros N. T. Libros recensitam non esse, a majoribus accepimus* (*f*). Veteres *Syri* eam ut spuriam in Canonem non retulerunt, et *Syri* recentiores licet eam legant, ipsam tamen ut canonicam non habent.

Ast 1°. probandum esset, paucos istos scriptores ecclesiasticos I. et II. saeculi, quorum opera ad nos pervenerunt, de illa loquendi occasionem aut necessitatem habuisse, illosve certis de causis ipsam rejecisse.

2°. Differentia stili tanta non est, ut alium auctorem arguat; illa facile a diversis Petri Interpretibus proficisci potuit, prout jam *Hieronymus* observavit.

(*c*) *Orig. apud Euseb. L.* 6. *C.* 25.
(*d*) *Hier. de Script. Eccles. Petrus.*
(*e*) *Didym. Comment. in hanc Epist.*
(*f*) *Euseb. L.* 3. *C.* 3.

3°. *Origenes Homilia 7. in Josue scribit: Petrus duabus Epistolarum suarum personat tubis, Jacobus quoque et Judas.*

Hieronymus expresse dicit: *Scripsit duas Epistolas*; quare ipse judicavit hanc Epistolam esse Petri.

Utrum adlegata verba sint *Didymi*, haud certum est; leguntur modo ad finem ejus commentarii. Si II. Epistolam falsificatam ac extra Canonem credidisset, cur in illam commentarium scripsisset?

Eusebius adsertionem suam haud probat. *Libro* autem 3. C. 25. discrimen inter libros ὁμολεγουμενους = *haud controversos*, ἀντιλεγουμενους = *controversos*, ac νοθους = *spurios* faciens, ait, IIm. Epistolam Petri non ad *spurios*, sed ad *controversos* pertinere.

Particulare autem Syrorum judicium, universalis Ecclesiae judicio haud officit.

Hanc vero Epistolam esse *Petri* constat 1°., quod C. 3, 1. dicat, se *II. Christianis scribere Epistolam*, 2°. quod C. 1, 16-18. scribat, se Christi transfigurationi interfuisse, 3°. quod C. 3, 15. *Paulum* fratrem seu coapostolum vocet, et 4°. quod ab antiquis Patribus ut *Petri* agnita fuerit, ut ab *Irenaeo*, *Origene*, *Cyrillo Hier.*, *Epiphanio*, *Macario*, *Athanasio* etc. (N. 9-17).

§. CCXXXV.

Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus II. Epistolae Petri.

485.) II. Hanc Epistolam *Romae* scriptam esse circa annum 65. aerae vulgaris, col-

ligitur ex C. 1, 14., ubi Petrus de sua morte ut imminente loquitur; Romae enim diu in carcere detentus fuit, ac anno 66°. cruci adfixus fuit. Exarata est haec Epistola *graece*, et directa ad eosdem fideles, ad quos I. Epistola missa fuit (C. 3, 1.).

Occasionem huic Epistolae dedisse videntur quorumdam Christianorum opinatio, vel pseudodoctorum doctrina, Christum jam diu secunda vice advenire debuisse, Christianorumque in fide relaxatio.

Quare *argumemtum* et *scopus* circa haec versantur. Monet *Petrus* Christianos, ut maximorum beneficiorum a Deo acceptorum memores, per varias virtutes sibi ingressum in regnum Domini comparent, dicit mortem sibi instare, ac suam doctrinam esse certam, eoquod illam habet a Christo, quem in transfiguratione vox Patris caelestis, et antea Prophetae commendarant (C. 1.).

Multos, ait, a pseudoprophetis seduci, sed falsos hos doctores vehementer esse puniendos, ut homines tempore diluvii, et Sodomitae puniti fuerunt (C. 2.).

Fideles praemunit adversus pseudodoctores Christi secundum adventum negantes, dicitque, Dominum brevi et insperato esse adventurum, et mundum renovandum esse. Laudat scripta *Pauli* Apostoli, quae ab indoctis depravari dicit (C. 3.).

De I. Epistola B. Joannis Apostoli.

§. CCXXXVI.

Lingua, locus scriptionis, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus I. Epistolae Joannis.

486.) Scripta fuit haec Epistola, ut duae sequentes, *sermone graeco*. Existimant alii, locum ejus scriptionis esse insulam *Pathmos* (Conf. N. 438.), alii vero numero plures *Ephesum*. *AEtas* illius collocatur ad annum 66-97. aerae vulgaris. Cl. *Schnappinger*, qui *novisissimam horam C. 2, 18.* pro ultimo tempore existentiae status Judaeorum habet (g), consequenter arbitratur, hanc Epistolam ante eversionem Hierosolymae, proinde ante annum 70. aerae vulgaris scriptam fuisse

Epistola isthaec ad aliquam Ecclesiam particularem directa non est, missa videtur ad fideles Ephesi, et prope hanc urbem existentes. Ejus materia omnibus Christianis convenit.

Occasio hujus Epistolae fuisse videtur zelus *Joannis* fideles in praecipuis veritatibus christianae religionis confirmandi, et ab erroribus contra divinitatem J. C. tum grassantibus praeservandi.

Argumentum igitur et *scopus* Epistolae huc tendunt. Inculcat Joannes necessitatem fidei ad salutem in Jesum ut *filium Dei*, *redemptoremque nostrum*, atque commendat amorem proximi. Respicit autem ad errores *Ebionitarum*, *Cerinthianorum* etc., qui tum tem-

---

(g) *Schnappinger H. Schrift des n. B. Erste Brief Joh.* §. 1. *Mannheim und Linz* 1808.

poris divinitatem J. C. negabant, et contra quos Apostolus fideles praemunit.

§. CCXXXVII.

De authentia versus 7. C. 5. I. Epist. Joannis.

487.) Magna abhinc uno circiter saeculo inter eruditos orta est controversia de authentia hujus versus: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.*

Praeter *Christophorum Sandium, Clericum, Crellium, Woltzogenium, Grotium, Semlerum* Acatholicos, authentiam hujus periochae impugnarunt *Simon Richard, Du Four, Ludovicus Abbas de Longuerue* etc. Rationes, quibus potissimum dimicarunt sunt

1°. Quod versus iste in antiquissimis, probatissimisque codicibus graecis usque ad saeculum XIV., et in codice *Vaticano* et *Alexandrino* non reperiatur.

2°. Quod non extet in quibusdam versionibus, praesertim orientalibus.

3°. Quod a Patribus antiquis, ut ab *Athanasio, Hilario, Gregorio Naz.* etc. uti a *Concilio Nicaeno* I°. et *Sardicensi* contra *Arianos* adhibitus non sit, dum eis argumentum irrefragabile adversus istos haereticos suppeditasset.

4°. Quod prisci Patres ad adstruendam SS. Trinitatem versus 6. et 8. *C. 5. I. Epist. Joannis* adlegarunt, loco citandi versum 7., qui est clarissimus; ajunt Patres hoc facturos non fuisse, si versum 7m. authenticum credidissent.

5°. Alii adserunt, Arianos versum 7. adjecisse ut inde inferrent, quod sicut juxta versum 8. *spiritus et aqua et sanguis.. unum sunt* non natura, sed consensu testimonii, ita etiam *Pater, Verbum et Spiritus S.* sint *unum* non natura, sed consensu testimonii.

488.) Verum versus 7. imprimis optime cohaeret cum antecedentibus et consequentibus, et nullam suppositionis notam in se continet; concordat enim apprime non dumtaxat quoad substantiam, sed etiam quoad singula fere verba cum aliis dictis Joannis: nam *Christus* in Evangelio Joannis *Verbum* vocatur *C. 1, 14.*, tres personae SS. Triadis occurrunt *ib. C. 15, 26.*, *Pater* testatur de *Christo ib. C. 5, 37. 8, 18. 10, 25.*, *Christus* testatur de seipso *ib. C. 5, 36. 8, 18. 10, 25.*, *Spiritus S.* testatur de *Christo ib. C. 1, 32. 15, 26.* Quod autem *hi tres* testes *unum sint* essentia, dixerat jam Joannes *ib. C. 16, 13-15.*

1°. Autem fatemur praefatam pericopam in antiquis codicibus graecis non reperiri; verum probandum foret, istos codices autographo Joannis esse conformes. Paucissima Epistolarum Catholicarum extant exemplaria antiqua, nemoque gloriabitur se omnia vidisse, ut ex majori aut minori numero dictam pericopam continentium vel omittentium litem decidat. Continetur porro haec periocha in praestantissimis codicibus graecis et latinis.

I. Ex *graecis* sunt

a) Ii, quibus *Editionis Complutensis* auctores usi sunt. In praefatione illius *Card. Ximenes Leoni X°.* inter alia: *Id aperte testari possumus*, inquit, *maximam laborum partem in eo praecipue fuisse versatam, ut ca-*

stigatissima omni ex parte vetustissimaque exemplaria pro archetypis haberemus, quorum quidem tam hebraïcorum quam graecorum ac latinorum multiplicem copiam variis ex locis non sine summo labore conquisivimus. Atque ex ipsis quidem graeca Sanctitati tuae debemus, quae ex apostolica bibliotheca antiquissimos tum V. tum N. T. codices perquam humane ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adjumento (*h*).

b) *Codex Britanicus*, cujus auctoritate motus *Erasmus* pericopam Joannis, quam in duabus editionibus omiserat, tertiae N. T. editioni an. 1522. inseruit.

c) *Codex Berolinensis* a *Ravio* ex Oriente adlatus, quem *Stoschius*, bibliothecae berolinensi praefectus, 400. annorum aetatem habere existimat.

d) *Codex Vaticanus* vetustissimus, de quo loquitur *Amelotius*.

e) *Codex Dublinensis*, quem *Usserius*, Armacanus episcopus, habuit.

f) *Codices*, quos in editione N. T. adhibuit *Laurentius Valla*.

g) *Codices*, quos *Hervagius* ad Biblia graeca V. et N. T. Basileae an. 1545. typis mandanda secutus est.

h) *Codices*, queis *Ben. Arias Montanus* in regio opere an. 1571. usus est. De iis Arias in praefatione: *Granuellanus Cardinalis*, inquit, *Bibliorum graecorum exempla-*

(*h*) Quae contra codices Editorum Complutensium objici solent soluta vide apud *Joach. Ehrenfried Pfeiffer: Triada Testium in caelo Erlange* 1771.

ria, *suis impensis ad vaticanam fidem descripta*, *et diligentissime collata*, *ad nos misit.*

i) *Sexdecim Codices Mss.*, quos *Rob. Stephanus* in elegantissima editione an. 1550. conficienda adhibuit; notat autem ex illis septem dumtaxat graecos fuisse, qui *v*. 7. voces ἐν ὀυρανῷ = *in coelo* non habebant, quas tamen, adposito obelo, ex aliorum codicum auctoritate adjecit.

k) *Calvinus* ac *Beza* praefatam pericopen suo tempore in optimis codicibus graecis extitisse testantur.

II. Ex *latinis* vero sunt

a) *Codices*, queis saeculo VI°. usus est *Aur. Cassiodorus.*

b) *Codex* vetustissimus olim *S.ᵗ Germani de pratis* de anno 809.

c) *Codex* quondam *PP. Praedicatorum* Parisiis de anno 1236.

d) *Codices duo Constantienses*, et unus *Basiliensis*, teste *Erasmo.*

e) *Codices duo Jenenses*, *Gerardo et Ketnero* testibus.

f) *Codices quinque Veronenses*, teste *Maffejo.*

g) *Codices quinque Bodlejani* teste *Burneto.*

h) *Codex Argentinensis*, *Venetus*, *Florentinus*, et codex antiquissimus olim in *Abbatia Corbejensi.*

1) *Lucas Brugensis* inter codices triginta tres septem dumtaxat reperit, qui dicta periocha carebant. Tandem ipse *Simon Richard* ingenue fatetur, circa saeculum X. omnia fe-

re exemplaria latina praefatam pericopen continuisse (*i*). Ex

2°. Solummodo sequitur auctores harum versionum nactos esse exemplaria, in quibus versus 7mus deerat. In quaestione praecise est, utrum hujusmodi exemplaria sint autographo Joannis conformia. Reperitur autem praefata periocha in *versione itala*, Apostolorum temporibus, ut creditur, facta, in *versione armenica*, teste *Millio*, in *editione Italica Bruccioli* de anno 1532. et juxta textum graecum facta. Tandem *Lutherani* et *Calvinistae* ipsam in suis Bibliis recensent.

3°. Quod Patres nonnulli antiqui versum istum non citarint haud probat, eum authenticum haud esse, cum a praeteritione alicujus loci biblici ad ejus non existentiam generatim concludi haud possit. Ratio cur isti Patres hanc pericopen non citarint est, vel quod prae manibus haberent exemplaria, in quibus per amanuensium incuriam omissa fuerat, facile enim ob similitudinem cum versu 8°. praetermitti potuit, vel quod *Ariani*, qui late dominati sunt, illam in multis exemplaribus expunxissent, aut ipsam sublestae fidei adcussarent, vel Patres hunc versum non adlegarunt, ne *Ariani* inde perperam inferrent, quod sicut juxta versum 8. *spiritus* et *aqua et sanguis unum sunt* ratione consensus in testimonium, ita juxta versum 7. *Pater*, *Verbum et Spiritus S.* unum sint non natura, sed ratione concordiae et voluntatis.

A *Conciliis Nicaeno* et *Sardicensi* ac a nonnullis Patribus antiquis non tam *trinitas per-*

(*i*) *Simon Richard Critique du N. T. Ch.* 18.

sonarum divinarum, quam *divinitas J. C.* probanda erat, hanc autem ex aliis scripturae locis evincere malebant.

Interim praefatum dictum Joannis adlegatum fuit saeculo II°. a *Tertulliano* et *Cypriano*, saeculo IV°. a *Phaebadio*, ab auctore *Athanasii* temporibus proximo in opere de *una deitate Trinitatis* (L. 1.), ab auctore contra *Arianos* scribente libro *Adversus Varimondum*, saeculo V°. ab *Eucherio Lugdunensi* episcopo, et a plus quam 400. *Episcopis Africanis*, in formula fidei *Hunerico Vandalorum* regi oblata, et in Concilio facta, *ut Victor Vitensis*, in Africa episcopus, testatur. Saeculo VI°. citatum fuit ab *Aur. Cassiodoro*, a *Fulgentio Ruspensi* episcopo, qui ad auctoritatem *Cypriani* provocans: *Tres sunt...*, inquit, *quod etiam beatissimus Cyprianus in Epistola de unitate Ecclesiae confitetur dicens: Tres sunt qui*, etc.

Ecclesia Graeca hoc Joannis testimonium suis libris ritualibus inseruit. *Lectionarium* illius Ecclesiae, saeculo V°. confectum, illud refert, ac fidei professio graeco-latina in *Concilio Lateranensi* IV°., praesentibus et non reclamantibus Graecis facta, illud continet (*k*).

4°.) Exinde quod nonnulli Patres antiqui versum 6. et 8. in sensu mystico de SS. Trinitate adhibuerint, praetermisso 7°., sequitur dumtaxat, Patres istos versum 7. aut in suis

---

(*k*) *Tert. Lib. contra Praxeam C.* 31. *Cypr. Lib. de unitate Ecclesiae. Phaeb. Lib. contra Arianos. Euch. Formul. spirit. intelligentiae C.* 9. *Vict. Lib.* 3. *de persec. Vandalorum. Cassiod. complexion. ad C.* 5. *Epist. Jaan. Folg. Lib. respons. ad object. Arian. resp.* 1.

manuscriptis non habuisse, aut illo ob rationes N°. 3°. adlatas uti noluisse.

5°. Adsertio ista nullo prorsus nititur fundamento; motivum vero, ob quod Ariani hunc textum Epistolae Joannis inseruissent, nihil valuisset; ex eo enim quod juxta versum 8. *Spiritus et aqua et sanguis* unum dumtaxat sint ratione consensus testimonii, minime sequitur, juxta versum 7. *Patrem, Verbum et Spiritum S.* unum solummodo esse ratione consensus testimonii. Quis ignorat, creatorem inter et creaturas immensam intercedere dissimilitudinem? Diversae substantiae creatae naturae unum esse nequeunt, bene vero personae divinae, cum eamdem habeant essentiam. Dictus versus 7. mysterium SS. Trinitatis tam clare exprimit, ut cl. *Conr. Fred. Stresow* recte opinetur, plures illum impugnasse, quod nulla coacta explicatio clarum ejus sensum debilitare, aut incertum reddere possit (*l*).

(*l*) *Stresow Freymüthiges Bekenntnisz der Kristl. Dreyeinigkeits Lehre. Hambourg.* 1786. *S.* 25.

Claritatis causa en *I. Joan.* 5, 6-8. explicationem!

V. 6. *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus*, nempe qui per suum baptisma et passionem se verum Messiam ostendit: *non in aqua solum*, hoc est per baptisma aquae, quod instituit, *sed in aqua et sanguine*, sed et per salutare baptisma et per passionem cruentam pro salute hominum in cruce toleratam. Haec divinae ejus missionis sunt certissima argumenta. *Et spiritus est, qui testatur, quoniam Christus* (graece πνευμα = *spiritus*) *est veritas*, id est testatur spiritus doctrinae, miraculorum etc., quae in probationem divinae suae missionis edidit. Spiritus autem Christi est veritas.

V. 7. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus.* Juxta legem Moysis duo testes veritatem sufficienter testan-

De II. et III. Epistola B. Joannis.

§. CCXXXVIII.

Auctor et auctoritas harum Epistolarum.

489.) Hae duae Epistolae olim ab aliquibus *Joanni Apostolo* abjudicatae, et alteri *Joanni*, *presbytero* ac Domini discipulo, adjudicatae fuerunt; 1°. quod nomen *Apostoli* in textu originario graeco non legitur, 2°. quod

---

tur, sed tres sunt in caelo, qui attestantur, Christum esse verum Messiam, verum filium Dei: Pater scilicet id testatus est tum in baptismate Christi, tum in ejus gloriosa transfiguratione; Verbum id testatum est tum per divinam suam doctrinam, tum per miracula, resurrectionem etc., et Spiritus S. tum per descensum in Apostolos, tum per gratias in fideles effusas. *Et hi tres unum sunt*, unam eamdemque veritatem testantur, atque unum idemque ens divinum sunt.

Nonnulli, ut cl. *Schnappinger* (*H. Schrift des N. B. I. Joh.* 5.), haec ultima verba Joannis de unitate testimonii in Christi divinam missionem intelligunt, tum quod haec verba v. 8. ita sumantur, tum quod scopum Joannis fuisse dicunt, hanc unitatem adstruere. Verum unitas testimonii unitatem essentiae divinarum personarum minime excludit.

V. 8. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra*, sunt adhuc tres testes in hac terra, qui Christum verum Messiam esse attestantur, *Spiritus* nempe ejus doctrinae etc., *et aqua*, seu baptismus ejus salutaris, *et sanguis*, seu mors ejus cruenta. Versu hoc repetitur versus 6. ad ostendendam multitudinem testium de divina Christi missione. *Et hi tres unum sunt*, unam eamdemque rem testantur.

Juxta nonnullos v. 7. *Pater*, *Verbum* et *Spiritus S.* testantur *Christi divinitatem*, et v. 8. *Spiritus*, *aqua et sanguis* attestantur ejus *humanitatem*. Juxta illos *Spiritus* v. 8. significat spiritum, quem Christus in cruce in manus Patris commendavit, et *aqua* ac *sanguis* significant aquam et sanguinem in ara crucis e Christi perfosso latere egressa.

auctor in duabus Epistolis se vocat *Seniorem* *II. Ep. 1, 1. III. Ep. 1, 1.*

Occasionem huic nonnullorum opinioni dedit *Papias* qui duos *Joannes* recensuit; inde *plures*, ait *Simonius*, *ex scriptoribus ecclesiasticis credebant*, *eumdem* (Joannem presbyterum) *IIae.* ac *IIIae. Joannis Epistolae fuisse auctorem.*

Verum hae duae Epistolae a saeculo IV°. ut *Joannis Apostoli* ab universa Ecclesia habitae fuerunt, earumque auctoritas a potioribus Patribus Ecclesiae semper agnita fuit, ut ab *Irenaeo*, *Clemente Alex.*, *Tertulliano*, *Athanasio*, *Ambrosio*, *Cyrillo Hieros.*, *Auctore Synopseos*, *Gregorio Naz.*, *Concilio Laodiceno*, *Augustino* etc. *Hieronymus*: *Clangit*, inquit, *tuba evangelica filius tonitrui*, *et quem Jesus amavit plurimum*, *qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit*, *presbyter Electae dominae et filiis ejus*, *quos ego diligo in veritate*; *et in alia Epistola*, *presbyter Cajo charissimo* (m).

Caeterum stilus et scribendi ratio eadem prorsus sunt in hisce Epistolis, ac in Ia. Joannis Epistola, et in ejus Evangelio. Porro

1°. Nomen *Apostoli* equidem in textu graeco non reperitur; at nec in Epistolis ad *Thessalonicenses*, *Philippenses et Philemonem* hoc nomen occurrit; nemo autem ideo dubitat, utrum hae Epistolae sint *Pauli Apostoli. Joannes Apostolus Electae et Cajo*, quibus has Epistolas scripsit, aliunde sat notus erat.

2°. Joannes autem se *Seniorem* inscribit,

(m) *Hier. Epist.* 85.

eoquod aetate provectus hasce Epistolas exaravit, aliosque Apostolos vivendo superavit.

§. CCXXXIX.

Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, argumentum et scopus IIae. et IIIae. Epistolae Joannis.

490.) Epistolae istae scriptae fuisse videntur *Ephesi*. Conformitas earum argumenti cum illo Iae. Epistolae Joannis innuit, eas conscriptas esse eodem circiter tempore ac Im. Epistolam, circa annum nempe 66-97. aerae vulgaris. Exaratae autem fuerunt *idiomate graeco*.

Occasio earum fuisse videtur zelus Apostoli, eos, ad quos directae sunt, in fide et in virtute confirmandi; quare earum *argumentum* et *scopus* intelliguntur. In IIa. autem Epistola Joannes *Electam Dominam* ejusque filios confirmat in charitate ac fide, hortaturque ut *Antichristos*, seu haereticos, ac eorum doctrinam evitent, et illis ne quidem *ave* dicant. Haec praestat paucis, et plura se illis verbotenus dicturum esse pollicetur, quando ad eos venerit.

In IIIa. Epistola *Cajum* magnopere dilaudat ob religionis ac hospitalitatis in peregrinos studium, in quo hortatur, ut perseveret *Diotrephis* calumniis ac inhumanitate neglectis. De *Demetrio* ut optimo Christiano loquitur, et subjungit, se brevi Cajum invisurum esse.

De Epistola B. Judae Apostoli.

§. CCXL.

Auctor et auctoritas hujus Epistolae.

491.) Hanc Epistolam esse *Judae fratris Jacobi* ex *v.* 1°. liquet, hunc autem Judam esse *Apostolum* et *fratrem Jacobi minoris*, proinde cognatum Jesu, ex *Luc.* 6, 16. coll. cum *Matth.* 13, 55. *Marc.* 6, 3. patet (Conf. N. 479.). Vocatur Judas etiam *Thaddaeus Matth.* 10, 3. *Marc.* 3, 18.

De auctore, ac consequenter de auctoritate hujus Epistolae, quondam a nonnullis addubitatum fuit. *Hieronymus*: *Judas*, inquit, *frater Jacobi, parvam quidem, quae de septem catholicis est, Epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur.* Sed addit: *Tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter Sanctas Scripturas computatur* (*n*). *Eusebius* admodum paucos ex antiquis hujus Epistolae meminisse scribit (*o*); sed alibi illam numero των ἀντιλεγουμενων γραφων = *scriptorum controversorum* accenset (*p*), et alio in loco ipsam cum aliis αντιλεγουμενοις = *Scriptis S. controversis* probatam multis esse testatur (*q*). *Syri* Judae Epistolam adhuc rejiciunt.

Rationes, ob quas haec Epistola ab aliquibus olim dubiae fidei habita, aut rejecta fuit, sunt

---

(*n*) *Hier. de Script. Eccles. Judas.*
(*o*) *Euseb. Lib.* 3. *C.* 3.
(*p*) *Lib.* 6. *C.* 14.
(*q*) *Lib.* 3. *C.* 25.

1°. Quod *v.* 9. occurrat altercatio *Michaelis* cum *diabolo* ob corpus Moysis, quae nusquam in Scriptura reperitur, sed ex libro spurio *de adsumptione Moysis* desumpta videtur.

2°. Quod *v. 14.* adlegari videatur *liber Henoch*, qui pariter est apocryphus.

3°. Quod *v. 17.* dicatur: *Memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis.*

Verum auctoritas Epistolae Judae a potioribus Ecclesiis et Patribus semper agnita fuit (Conf. N. 9-17.). Illam inter alios in particulari agnoverunt *Clemens Alex.*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Epiphanius*, *Cyrillus Hier.*, *Gregorius Naz.* etc. (*r*). A. IV°. autem saeculo omnes Patres, qui Librorum S. Canonem texuerunt, Judae Epistolam inter Scripturas Canonicas retulerunt. Quod spectat adlatas difficultates

1°. Narrat equidem Judas, quod *diabolus* mortui Moysis corpus auferre voluerit, ut Judaeos, ad idololatriam pronos, ad illius tamquam summi viri, legatique divini, adorationem adliceret, quod *Michaël* se diabolo opposuerit, corpus Moysis abstulerit et absconderit, et tamen judicium adversus diabolum ferre ausus haud sit, sed illud Deo reliquerit. Ex hac narratione, paucis peracta, et nonnullis suppositis, Judas salutarem doctrinam moralem deducit. Historia isthaec aevo Judae nota omnino fuisse videtur, Judas saltem illam ut talem ponit; quare potuit Apostolus eam aliunde quam ex apocrypho libro *de adsumptione Moysis* habere.

(*r*) *Clem. Lib. 3. Strom. Orig. Comment. in Matth. C. 13. Tert. de habitu mul. C. 3.*

Sed si illam etiam ex isto libro deprompsisset, nondum sequeretur, illam esse falsam. Factum hoc equidem est extraordinarium, sed lucta Patriarchae *Jacobi* cum angelo, adparitio angeli *Balaami* asinam sistentis, loquela asinae etc. non minus extraordinaria sunt. Paulus *Tit.* 1, 12. citat dictum poëtae *Epimenidis*; *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri*, ideo tamen alia Epimenidis dicta, vel fabulas, minime adprobare censetur. Quare si etiam Judas praefatum factum ex libro apocrypho hausisset, minime fabulas in eo contentas adprobaret. Judam vero commemoratam narrationem Judaeis adlegasse, ut se eorum opinioni, gustui ac captui accommodando, inde doctrinam eis salutarem efficacius deduceret, ut cl. *Brentanno* ac *Schnappinger* existimant, verbis Judae adversari videtur, eoquod istam historiam *positive* narrat (*s*).

2°. Apocryphum *librum Henoch* v. 14. adlegari, ex loco isto non evincitur; ibi enim solummodo legitur: *Prophetavit autem de his septimus ab Adam Henoch.* Quae verba vaticinium aliquod Henochi indicant, quod Judas e majorum traditione, vel etiam ex revelatione (nemo enim illi divinam inspirationem abnegabit) scire potuit. In fragmentis vero, quae sub nomine *Henoch* circumferuntur, nihil de dictis verbis Judae reperitur.

3°. V. 17°. Judas dicere intendit, se idem tum scribere, quod alii quoque Apostoli dixerant.

(*s*) *Brentanno Einleitung in den Brief des A. J. Francfurt* 1798. *Schnappinger Brief des A. J. v.* 9. *Manheim* 1808.

§. CCXLI.

Lingua, locus scriptionis, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus Epistolae Judae.

492.) Scripsit Judas hanc Epistolam *graece*, quo autem in loco haud constat; exarata autem videtur ante annum 70. aerae vulgaris, eoquod secus *v*. 5-8. mentio de ruina Hierosolymae facta esset. Verisimiliter scripta fuit aliquantulum post II. Epistolam Petri, ex qua nonnulla in hac Epistola occurrunt, circa annum scilicet 66. aerae vulgaris.

Occasionem huic Epistolae dederunt pseudodoctores, seu haeretici, solam fidem sine bonis operibus ad salutem sufficere docentes.

Quare *argumentum* et *scopus* Epistolae in hoc versantur. Monet Apostolus fideles ut in suscepta fide perseverent, sibique caveant a pseudodoctoribus, impiis ac lascivis. Agit de horum supplicio in modum supplici Judaeorum, angelorum ac Sodomorum. Characteres seductorum adsignat, quos variis rebus comparat. Tractat de altercatione Michaëlis cum diabolo ob corpus Moysis, et loquitur de *Henoch* ac Apostolorum dictis.

De Apocalypsi B. Joannis Apostoli.

§. CCXLII.

Auctor Apocalypseos.

493.) *Ἀποκαλυψις* = *Apocalypsis* seu *Revelatio* antiquitus a nonnullis *Joanni Apostolo* abjudicata fuit. *Cajus* scriptor latinus, qui saeculo III°. tempore *Zephirini R. P.* vixit,

illam attribuit *Cerintho* haeretico, quem existimavit, eam Joanni Apostolo attribuisse, ut suos errores facilius disseminaret (*t*). *Dionysius Alex*, scriptor III. sacculi refert (*u*), aliquos veteres Apocalypsim rejecisse, totam refutasse, eamque adscripsisse *Cerintho* haeretico, se autem credere, illam esse alterius *Joannis* non vero *Apostoli*. *Graeci* nonnulli aetate *Hieronymi* ipsam non admittebant. *Alogi*, haeretici II. saeculi, Apocalypsim rejiciebant, eam *Cerintho* attribuebant, ajebantque Ecclesiam *Thyatirae*, ad cujus episcopum Joannes C. 2, 18. scribere jubetur, isto tempore non extitisse.

Rationes potissimae, ob quas nonnulli Apocalypsim rejecerunt, sunt

1°. Magna ejus obscuritas, quae efficere videbatur, hunc librum ad nihil inservire.

2°. Stili illius diversitas a stilo Evangelii et Epistolarum Joannis Apostoli.

3°. Ipsius inscriptio in codicibus graecis: *Ἀποκαλυψις Ιωαννου του Θεολογου* = *Apocalypsis Joannis Theologi*.

4°. Frequens repetitio nominis *Joannis*, ut *C. 1, 1*: *Mittens per angelum servo suo Joanni*, *ib. v. 4*: *Joannes septem Ecclesiis*, *ib. v. 9*: *Ego Joannes*, *C. 21, 2*: *Ego Joannes*, *C. 22, 8*: *Ego Joannes* etc., dum Joannes Apostolus in Evangelio et Epistolis hoc non facit. Has ob rationes adhucdum nonnulli recentiores Protestantes de auctoritate Apocalypseos dubia movent.

(*t*) *Cajus apud Euseb. Lib.* 3. *C.* 28.
(*u*) *Tract. de promissis.*

§. CCXLIII.

Solutio difficultatum adversus Joannem Apostolum qua auctorem Apocalypseos.

494.) Causa primaria, qua antiqui nonnulli ducti, Apocalypsin rejecerunt, fuit equidem ejus obscuritas; ast haec postea imminuta fuit. Conjecturae autem istorum veterum omni prorsus fundamento destitutae erant; nam *Cerinthum* non esse auctorem Apocalypseos, clare constat ex doctrina hujus libri, quae doctrinae Cerinthi omnino est opposita. *Regnum* autem *mille annorum* Christi in hac terra C. 20, 2-5. occurrere, falsissimum est, et *Thyatirae* tempore, quo scripta est Apocalypsis, non fuisse Ecclesiam, est adsertio gratuita, nulla prorsus ratione suffulta, et per *Apoc. 2, 18.* refutata. Si Graeci nonnulli, paucique alii Apocalypsin rejecerunt, potiores tamen Patres Ecclesiae illam semper admiserunt, ut saec. I°. *Papias*, saec. II°. *Irenaeus*, *Justinus*, *Melito Sardensis*, *Clemens Alex.* et *Hippolytus*, saec. III°. *Origenes* et *Tertullianus*, saec. IV°. *Eusebius Caes.*, *Hieronymus*, *Epiphanius* etc (v).

Quod spectat

1°. Obscuritatem Apocalypseos, fatendum, illam haud esse exiguam, minor autem est modo, ubi variae illius prophetiae sunt adimple-

---

(v) *Papias apud Andr. Caes. Praef. in Apoc. Iren. Lib. 4. C. 37. Just. Dial. Mel. apud Euseb. Lib. 4. C. 26. Clem. Paedag. Lib. 2. C. 10. 12. Hippol. Lib. de Antich. Orig. Hom. 7. in Josue, et apud Euseb. Lib. 6. C. 25. Tertul. adv. Marcion. Lib. 3. C. 14. Euseb. Lib. 3. C. 24. et Lib. 7. C. 25. Hier. Epist. ad Dardan. Epiph. Haer. 72.* (Conf. N. 9-17.).

tae, quam fuit olim. Isthaec vero obscuritas rationem sufficientem praebere non potest rejiciendi librum, quem traditio Ecclesiae nobis ut genuinum opus *Joannis Apostoli* transmisit.

2°. Stilum Apocalypseos hinc inde diversum esse a stilo Evangelii et Epistolarum Joannis Apostoli, praesertim quando verba angeli referuntur, non mirabitur quicumque attenderit, materiam Apocalypseos esse propheticam per imagines et symbola Orientalium modo poëtico propositam, materiam vero Evangelii et Epistolarum esse historicam ac doctrinalem.

Multorum vero locorum Apocalypseos inductione facta, observatum est, ejus stilum generatim esse similem stilo Evangelii et Epistolarum Joannis Apostoli (*x*).

3°. Inscriptio codicum graecorum auctorem a Joanne Apostolo diversum non arguit; nomen enim *Theologi* Joanni ob sublimem doctrinam de Deo et Christi divinitate in Evangelio, quod ab aeterna generatione Verbi ejusque incarnatione temporali incipit, ab antiquis passim tributum fuit, ut ab *Hippolyto*, *Cyrillo Alex.*, *Cyrillo Hier.*, *Chrysostomo*, *Auctore Synopseos*, *Damasceno* etc. (*y*), et hinc Joannes Apostolus a *Cyrillo Alex.* *nuncupatur* της Θεολογιας ὁ συγγραφευς = *Theologiae scriptor*. Existimant autem nonnulli, praefatam inscriptionem graecam a saeculo IV°. dumtaxat Apocalypsi adjectam esse.

(*x*) Vide *Millium in Prolegomenis* §. 177. et *Wolfium in Cur. philol. T.* 4.

(*y*) *Hippol. Orat. de consum. saec. Cyr. Alex. Lib.* 3. *de Trin. Cyr. Hier. Cath.* 12. *Chrys. proaem. in Ps.* 37. *Damasc. Orat. de Transfig.*

4°. Frequentem repetitionem nominis Joannis produxit propheticum argumentum libri. Alii Prophetae, ut *Jeremias* et *Daniel*, nomen suum frequentissime repetierunt. Haec autem ipsa nominis repetitio, aliique characteres intrinseci, praecise evincunt, Joannem Apostolum Apocalypseos esse auctorem; nam *a*) auctor frequenter se vocat *Joannem*, ut C. 1, 1, 4, 9. C. 21, 2. C. 22, 8. etc., et quidem illum *Joannem*, qui *Jesum* et ejus facta ac dicta vidit et audivit, ut liquet ex C. 1, 2. coll: cum ejus *I. Epist. C. 1, 1-2. b*) C. 1, 9 scribit, se *propter verbum Dei et propter testimonium Jesu Christi* fuisse in insula *Pathmos*, quod de solo Joanne Apostolo historia ecclesiastica refert.

§. CCXLIV.

Lingua, locus scriptionis, aetas ac materia Apocalypsi substrata.

495.) Scripta fuit Apocalypsis *idiomate graeco*. Locum scriptionis fuisse *Pathmos*, insulam Maris AEgaei, duodecim milliaribus Epheso dissitam, ex C. 1, 9. constat.

Communis sententia fert, illam scriptam fuisse sub *Domitiano* imperatore circa annum 96. aerae vulgaris. Alii vero existimant, eam circa annum 50. sub *Claudio* imp., et alii circa annum 67. aut 68. sub *Nerone* imp. in insula Pathmos exaratam fuisse. Huic ultimae sententiae favent et *versio syriaca*, quae Joannem Apostolum sub *Nerone* in hanc insulam relegatum fuisse refert, et multa, quae in Apocalypsi occurrunt de *Hierosolyma*, e-

jus templo ac altari, quae sub *Nerone* imp. adhuc existebant.

Antiqui Interpretes, licet agnoscerent, in Apocalypsi varia contineri vaticinia, illam tamen vel sensu morali exposuerunt (z), vel illius interpretationes litterales mutuo sibi oppositas dederunt.

Recentiores, quos inter cl. *Bossuet*, *Calmet*, *Alcasar*, *Goldhagen*, *Veith*, *Schnappinger* etc., Apocalypsim, cum historia eventuum, quos praedicere videtur, collatam, maxima ex parte historice exposuerunt. Et profecto cum Joannes C. 1, 1. dicat, res sibi revelatas *cito* adimpleri debere, oportet, maximam earum partem jam contigisse.

Materia Apocalypsi substrata probe distinguenda est a symbolis orientalibus, quibus Joannes, ut *Ezechiel* et *Daniel*, revelationes suas exprimit. Quinque autem praecipui eventus, Christi religionem respicientes, in Apocalypsi praedici videntur.

I. Est abrogatio cultus Judaeorum, ac subversio illorum status.

II. Ruina paganismi imperii romani, hujusque interitus.

III. Victoria Christi religionis de judaïsmo et paganismo, atque gloria religionis christianae, post victoriam de duobus istis hostibus relatam.

IV. Est ultimum judicium. Et

V. Felicitas verorum Christianorum in caelo.

(z) Vide *August. in Ps.* 39. *et de civitate Dei Lib.* 16. *C.* 23.

§. CCXLV.

Scopus et argumentum Apocalypsis.

496.) Libri S. V. F. varios eventus usque ad J. C. praedictos continent. Apoçalypsis, quae est ultimus liber N. F., diversos eventus futuros Christi religionis ac finem mundi complectitur, ita ut *scopus* Joannis sit, sortem christianae religionis atque finem hujus mundi describere, fidelesque ad constantiam in vera religione excitare.

C. 1.-C. 3. Joannes titulum libri exponit, salutat Ecclesias, quibus scribit, narrat quomodo sibi revelationes in libro contentae contigerint, exhortatur ad virtutem Ecclesias particulares, nominatim *Ephesiam*, *Smyrnensem*, *Pergamensem*, *Thyatirensem*, *Sardicensem*, *Philadelphiam* et *Laodicensem*. Sequitur dein descriptio visionum.

I°. C. 4. Joannes videt Deum insidentem throno, a 24. senioribus beatos repraesentantibus circumdatum, tenentemque manu librum, cujus contentum soli Deo, et agno, qui throno adstat, notum est.

C. 5-C. 7. Joannes videt aperiri librum, in quo magnae plagae notatae sunt, in Christi religionis hostes ruiturae. Fideles, seu signati in fronte, ab illis immunes erunt.

C. 8-C. 9, 1-12. occurrit visio, in qua praeparatur executio plagarum indicatarum, quae dein in *Judaeos* ruunt. Judaei inter se discordes fiunt, ac in Romanos insurgunt.

C. 9, 13-C. 11. Romanorum exercitus Palaestinam occupat, Christiani dicuntur mox a Judaeorum persecutione liberandi, et Hierosolyma mox subvertenda, cujus ruina se-

quitur. Et en *Cultum et statum Judaeorum* destructos, et Christianos ab illorum persecutionibus liberatos!

II°. *C. 12-C. 14.* videt Joannes Christi religionem gentilium Romanorum persecutionibus expositam sub symbolo *mulieris* gravidae 12. *stellis* coronatae, et *draconis* 7. *capitum*, infantem natum devorare parati. *Mulier* isthaec, Ecclesiam repraesentans, 12. stellis est exornata, quia Christi religio in Judaea nata ex Judaeis 12. tribuum, constabat; *sol*, quo est amicta, et *luna*, quae sub pedibus ejus, sunt symbola et signa pompae et dignitatis mulieris coram Deo. Infans, cujus partu laborat, sunt Gentiles Christo pariendi, et *Draco* est Imperium Romanorum, et 7. ejus imperatores (C. 17, 9.), qui exterminare parabant omnes qui Christi religionem amplectebantur. *Roma* ut sedes et symbolum paganismi exhibetur, impostores ac tyranni, qui paganismum defenderunt ac propagarunt, atque opposita Christianorum agendi ratio describuntur. Proximus interitus Romae paganae indicatur, atque sub symbolis messis ac vindemiae praesens sistitur.

Per *bestiam*, de qua Joannes 13, 18. dicit: *Qui habet intellectum, computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est: et numerus ejus sexcenti sexaginta sex*, antiqui intellexerunt *Antichristum*, et in ejus nomine numerum 666. invenire moliti sunt, recentiores vero per eam intelligunt *paganismum romanum*, vel *principem* aliquem impiissimum, cui nomen Antichristi conveniat. Cl. *Bossuet* existimavit hunc principem esse *Diocletianum* imp., eoquod in his vocibus

500. 1. 100. 50. 5. 5. 5.
D I o C L E S A U G U S T U S numerus 666. reperitur, alii crediderunt eum esse imperatorem *Julianum*, in cujus nomine *C. F. Julianus Caes. Aug.* per numeros romanos ita transpositos IↃCLXVI. dictus numerus 666. occurrit.

Verum cum ignoretur 1°. utrum nomen bestiae, de qua loquitur Joannes desumendum sit ex lingua hebraïca, syriaca, graeca vel latina, et 2°. utrum hoc nomen sit nomen personale, vel dignitatis, vel nomen aliquod quod viro isti a sectariis tribuendum, vel a criminibus donandum sit, nihil certi hac de re definiri potest.

C. 15. Septem Angeli se accingunt ad septem ingentes plagas in Romanorum paganismum effundendas; dum Christiani omnem suam fiduciam in Deum collocant.

C. 16-C. 18. Multifaria mala in Romam paganam ruunt. Obstacula omnia, quae ultimam ejus ruinam impedire possent, tolluntur. Roma destruitur, et ejus ruina graphice depingitur ac lugetur. Contigit ruina Romae anno 410. aerae vulgaris per *Alaricum* Gothorum regem, an. 455. per *Gensericum* regem Vandalorum, an. 465. per *Odoacrum* Herulorum regem, an. 472. per *Ricimerum* Patricium ducemque Romanorum, et an. 547. per *Totilam* Gothorum regem, ita ut haec urbs, quondam mundi regina, spatio 137. annorum quinquies capta et spoliata, pristinum suum splendorem prorsus amiserit. Et en *paganismum, imperiumque paganum Romanorum* sublatum.

III. C. 19-C. 20, 1-10. Fideles cantica tri-

umphalia concinunt, triumphat Christi religio, cujus splendor describitur. Et en victoriam divinae Christi religionis de duobus suis juratis hostibus, Judaeis nempe et Romanis paganis relatam.

IV. C. 20, 11-15. Exhibetur ultimum judicium et mortuorum resurrectio.

V. C. 21-C. 22. Sistitur aeterna felicitas verorum Christianorum sub symbolo praetiosissimae urbis exhibita etc.

Tradita cognitione de auctoribus Librorum S. N. F., ac de eorum scriptis, ad horum authentiam ex professo stabiliendam properamus.

Authentia Librorum S. N. F.

§. CCXLVI.

Libri S. N. F. sunt Gunuini.

497.) I°. fides publica 1°. omnium *Catholicorum*, 2°. *haereticorum*, 3°. *Judaeorum*, et 4°. *scriptorum paganorum*, hosce libros semper ut opera Apostolorum et Evangelistarum Jesu exhibuit; proinde nisi pyrrhonismo universali in rebus historicis laborare velimus, admittere debemus, hos libros esse auctorum, quibus adscribuntur. Talem fuisse fidem

498.) 1°. *Catholicorum* patet, quod primi scriptores ecclesiastici hosce libros Apostolis et Evangelistis Jesu adscripserunt, ut *Clemens Rom.*, *Apostoli Petri* discipulus, *Ignatius M.*, qui Christum redivivum vidit, *Polycarpus* Joannis Evangelistae discipulus, *Papias*, *Quadratus*, *Aristites*, *Hegesippus*, *Justinus M.*, *Melito*, *Theophilus Alex.*, *Apollinaris*, *Irenaeus*, aliique scriptores ecclesiastici II. sae-

culi. Item *Clemens Alex.*, *Apollonius*, *Polycrates*, *Origenes*, *Tertullianus*, *Hippolytus*, *Cyprianus*, *Dionysius Alex.*, pluresque alii Patres III. saeculi, et quotquot scriptores saeculis subsequentibus in Ecclesia floruerunt.

Deistae fatentur, a tempore Concilii Laodiceni, circa medium saeculi IV. celebrati, proinde ne trecentis quidem annis a morte Apostolorum, Libros S. N. F., saltem protocanonicos, a Christianis ut genuinos habitos esse.

Jam vero si hi libri tribus primis saeculis Ecclesiae conficti essent, an fideles, ii praesertim ad quos primitus directi fuerant, id ignorassent? aut si scivissent, an eos ut genuinos et divinos adprobassent?

499.) 2°. Eadem fuit *haereticorum* fides; nam *Cerinthiani*, *Valentiniani*, *Ebionitae*, *Cerdoniani* etc. hos libros in heterodoxum sensum detorserunt, quaedam de illis rejecerunt, et etiam nonnulla ex eis expunxerunt; Orthodoxi vero ipsis genuinum horum librorum sensum semper opposuerunt, fraudemque illis exprobrarunt. *Manichaei* insaniebant, sibi perfectiorem quam Apostolis revelationem esse factam, *Gnostici* effutiebant, Apostolos pro populo, et non pro philosophis scripsisse, *Ebionitae* delirabant, Scriptores N. F., *Matthaeo* excepto, nimium favisse Gentilibus, ut ita suos errores facilius propagare possent. An igitur hac agendi ratione Libros S. N. F. genuinos esse non supposuerunt?

500.) 3°. Eamdem fidem habuerunt *Judaei*. Horum profecto intererat, hosce libros pro supposititiis habere, illosque ut tales omnibus exhibere; hoc autem numquam fecerunt; immo cum Judaei miracula in hisce libris con-

tenta modo artibus magicis, modo usurpato nomini *Jehovae*, modo fraudi tribuerint, et adhucdum tribuant (in *Thalmude*), hosce libros genuinos agnoverunt, et adhuc agnoscunt.

501.) 4°. *Antiqui scriptores pagani* hanc eamdem fidem prodiderunt; *Celsus* enim, *Porphyrius*, *Hierocles*, et *Julianus* imperator, infensissimi christiani nominis hostes, qui nihil intentatum reliquerunt ad religionem Christi labefactandam, numquam haec scripta in dubium revocarunt: *Celsus* miracula Christi dicebat opera magica, *Porphyrius* contradictiones inter Evangelistas frustra inquisivit, *Hierocles* Christi miraculis inepte opposuit praetensa miracula *Appollonii Thyanaei*, *Julianus* imp., candide fatetur „ *Petri*, *Pauli*, *Matthaei*, *Marci* et *Joannis* esse ea scripta, quae Christiani illis attribuant (*a*). Immo hi scriptores pagani plura ex Libris S. N. F. in suis libris citarunt, tanta illis inerat persuasio hosce libros esse genuinos! Hoc argumentum a juratis Christi hostibus petitum adversus Deistas est peremptorium.

502.) II°. *Characteres intrinseci* clare evincunt, hosce libros esse opera genuina Apostolorum ac Evangelistarum; ex argumento enim illorum patet, auctores fuisse *a*) *natione et religione Hebraeos*, quod ex eorum *lingua hebraeo-graeca*, ex frequentibus *parabolis* et *allegoriis*, et ex innumeris *citationibus Librorum S. V. F.* elucet; *b*) eos *I°. saeculo Ecclesiae vixisse*; id enim patescit ex adcuratissimis circumstantiis *Palaestinae et*

(*a*) *Julianus apud Cyrillum Alex. Lib.* 10. *contra Julianum.*

Imperii Romani, quas prout tum erant pro data occasione breviter recensent, ita ut illos hisce circumstantiis contemporaneos fuisse necesse sit; *c*) illos *Christi factorum ac doctrinae testes*, *et Jesu sequaces* fuisse; quod evincit *tum* narratio minimarum circumstantiarum, quae nonnisi a testibus oculatis et auritis sciri poterant, *tum* consensus eorum quae in Evangeliis, Actibus et Epistolis referuntur, *tum* omissio probationum factorum ac dictorum, quae narrant, *tum* amor ac reverentia, qua de Christo loquuntur, *tum* denique ardens studium, quo Jesu Christi doctrinam propagare nituntur; tandem *d*) ipsos fuisse *illiteratos*; hoc enim stilus omni eloquentia destitutus, omissio objectionum, quae fieri possent, et ipsae adparentes antilogiae evidenter comprobant. Patet igitur *characteres intrinsecos* horum librorum tales auctores nobis sistere, quales nobis traditio exhibet; proinde Libros S. N. F. esse eorum auctorum, quibus tribuuntur.

Vindiciae Librorum S. N. F. ut ab Apostolis ac Evangelistis Jesu Scriptorum.

§. CCXLVII.

Num scriptores pagani de Libris S. N. F. siluerunt?

503.) Deistae, ut *Collins*, *Edelmann*, *de Voltaire*, *Toland*, *Bolingbrock* etc. (*b*) evincere vellent, Apostolos et Evangelistas non esse auctores scriptorum, quae illis attribuuntur; ajunt Christianos testes esse in propria causa, quibus fides non est adhibenda, scriptoresque gentiles de his libris non esse locutos.

Verum si soli Christiani Scripta S. N. F. Apostolis et Evangelistis Jesu attribuissent, num ideo sequeretur, eorum testimonium esse falsum? Ineptum est postulare, ut inimici Christianae religionis ferant testimonia de authentia ejus Librorum S. Num *Koranus* non erit *Muhammedis*, nisi *Christiani*, *Judaei*, *Tartari* et *Indi* id testentur? Num forte *Lucianus*, *Juvenalis*, *Tacitus* et *Suetonius* recensere debuissent Libros S. Christianorum, quos despectui habebant, quosque ex caeco, odio adpellabant homines *ultra modum superstitiosos*, *per flagitia invisos*, *cerdones* etc.?

Deistae autem per hanc objectionem aut cras-

(*b*) *Collins sur la liberté de penser. Edelmann Begierde nach der vetnünftigen lautern Milch. S.* 38. *Voltaire Evangile du jour. Tolland in Nazareno. Bolingbrock in libro anglice inscripto: De studio et usu historiae. Anonymus auctor operis: Collection des lettres sur les miracles.*

sam ignorantiam aut malam fidem produnt, Paganis enim, infensissimis Christianorum hostibus, primis Ecclesiae saeculis adeo persuasum fuit, libros Apostolis et Evangelistis Jesu adscriptos eorum revera esse, ut nequidem id in dubium revocarint, sed vim miraculorum Christi modo inepto eludere conati sunt, ut fecerunt *Celsus*, *Porphyrius*, *Hierocles*, ac *Julianus* imperator (N. 501.). *Julianus* immo apud *Cyrillum Alex.* praecipuos N. F. auctores recenset, dum atram suam bilem in Christianos evomendo: *In tantam*, inquit, *miseriam delapsi estis, ut ea quae vos Apostoli docuerunt non tenueritis, qui vero secuti sunt multo profundius in impietatis abyssum vos demerserunt; etenim nec Paulus, nec Matthaeus, nec Lucas, nec Marcus dicere ausi sunt, Jesum fuisse Deum; sed bonus vir Joannes, videns quamplurimas urbes in Graecia et in Italia hac insania laborare, id omnium primus affirmare non erubuit.*

§. CCXLVIII.

De Evangeliis Apocryphis.

504.) Extiterunt jam antiquitus, ajunt Deistae, quam plurima *Evangelia* et *scripta apocrypha*, scripta autem Apostolis et Evangelistis attributa non melioribus nituntur fundamentis, quam illa Evangelia ac scripta apocrypha.

Extiterunt utique Evangelia aliaque scripta apocrypha; at quando procusa sint haud constat. Ex Patribus primus de illis locutus est *Clemens Alex.*, qui saeculo II°. floruit, qui-

que illa a nostris Evangeliis authenticis probe distinguit. Falsum autem est, tot extitisse diversa Evangelia apocrypha, cum unum idemque Evangelium crebro plures titulos haberet: Sic *a*) *Evangelium secundum Hebraeos*, *b*) *Evangelium secundum Nazaraeos*, *c*) *Evangelium secundum duodecim Apostolos*, et *d*) *Evangelium S. Petri*, videntur esse solum *Evangelium secundum Matthaeum*, a *Nazaraeis* et *Ebionitis* corruptum. Alia vero 35. *Evangelia apocrypha* vix 20. Evangelia diversa constituunt. Evangelia ista sunt

1°. *Evangelium secundum AEgyptios*, 2°. *Evang. Nativitatis B. M. V.*, 3. *Proto-Evang. S. Jacobi*, 4. *Evangelium infantiae*, 5. *Evang. S. Thomae*, quod idem est cum praecedenti, 6. *Evang. Nicodemi*, 7. *Evangelium aeternum*, 8. *Evang. S. Andreae*, 9. *Evang. S. Bartholomaei*, 10. *Evang. Apellis*, 11. *Evang. Basilidis*, 12. *Evang. Cerinthi*, 13. *Evang. Ebionitarum*, idem verisimiliter cum illo *Hebraeorum*, 14. *Evang. Encratitarum* vel *Tatiani*, 15. *Evang. Hevae*, 16. *Evang. Gnosticorum*, 17. *Evang. Marcionis*, 18. *Evang. S. Pauli*; quod idem est cum praecedenti, 19. *Parvae et Magnae Interrogationes Mariae*, 20. *Liber nativitatis Jesu*, idem cum *Proto-Evangelio S. Jacobi*, 21. *Liber S. Joannis*, seu *de obitu M. V.* 22. *Evang. Mathiae*, 23. *Evang. perfectionis*, 24. *Evang. Simonianorum*, 25. *Evang. secundum Syros*, 26. *Evang. secundum Tatianum*, idem cum *Evang. Encratitarum*, 27. *Evang. Thaddaei* aut *S. Judae*, 28. *Evang. Valentini*, 29. *Evang. Vitae aut Dei viventis*, 30.

Evang. S. Philippi, 31. *Evang. S. Barnabae*, 32. *Evang. S. Jacobi Majoris*, 33. *Evang. Judae Iscariotis*, 34. *Evang. veritatis*, idem cum *Evang. Valentini*, 35. *Evangelia Leucii*, *Seleucii*, *Luciani* et *Hesychii* (c).

Ratio multiplicationis horum Evangeliorum reperitur partim *in abusu nominis Evangelii*, quod cum *faustum nuntium* graece significet, primis saeculis Ecclesiae tributum fuit non dumtaxat *Evangeliis* proprie dictis, sed etiam omnibus aliis libris N. F., historiis Jesu, et B. M. V., immo datum fuit professionibus fidei, catechismis, librisque dogmaticis ac moralibus haereticorum, partim reperitur *in simplicitate nonnullorum Christianorum*, conscribentium quae a discipulo alicujus Apostoli audierant, suoque libro nomen Evangelii praebentium, tandem partim *in malitia haereticorum*, ope confictorum aut falsificatorum Evangeliorum suos errores propagantium.

Porro Evangelia isthaec ut apocrypha ab Orthodoxis mox agnita, et rejecta fuerunt. *Quatuor* autem nostra *Evangelia* Ecclesiis ab Apostolis tradita fuerunt. Illo *Matthaei* plures Apostoli usi sunt, et *Marcus* illud *Romae* habuit (conf. N. 430.). Evangelium *Marci* adprobavit *Petrus* (ib.), et *Lucas* Evangelia *Matthaei et Marci* habuit in *Graecia* (N. 435), ac Lucae Evangelium Paulus suum vocavit (ib.) tria haec Evangelia *Joannes*, qui ultimus scripsit suum Evangelium, revidit, et adprobavit, ut testatur *Eusebius Caesa-*

(c) *Vide Fabritii Codicem Apocryph. N. T.*

reensis (*d*). Cum autem hisce quatuor Evangeliis uterentur omnes Ecclesiae particulares Catholicorum, publice praelegerentur, et multa ex iis Liturgiis, operibusque primorum Patrum Ecclesiae insererentur, liquet quam certo nitantur fundamento, et quanta cum certitudine ab *Evangeliis apocryphis* semper distincta fuerint.

§. CCXLIX.

Num Patres Justino M. anteriores non nisi Evangelia apocrypha citarunt? de interitu autographorum Librorum S. N. F., de ignorantia loci ac temporis, quo Libri S. N. F. confecti sunt, et de rejectione quorumdam Evangeliorum per haereticos.

505.) Verum prosequuntur Deistae, 1. Patres *Justino M.* anteriores non citarunt nisi Evangelia apocrypha: sic *Clemens Rom.*, observante *Bayle*, adlegavit hunc textum: *Estote boni usurarii*, atque sequentem in 2. Epistola ad Corinthios: *Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi majora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit.* Haec in Evangeliis, scriptisque Apostolorum ac Evangelistarum non leguntur.

2. Autographa Librorum S. N. F. exhiberi non possunt.

3. Ignoratur quo in loco et quo tempore isti libri scripti sint.

4. Jam antiquitus *Evangelium Lucae* re-

(*d*) *Euseb. Hist. Eccles. Lib.* 3. *C.* 4.

jectum fuit a *Cerintho* et *Carpocrate*, illud Joannis ab *Alogis* atque *Actus Apostolorum*, ac *Epistolae Paulinae* reprobata fuerunt a *Severianis*.

506.) 1°. Patres Apostolicos *Justino M.* anteriores non nisi Evangelia apocrypha citasse, est figmentum inimicorum Christianae religionis. Si quae hinc inde occurrunt in eorum operibus, et in Evangeliis authenticis haud reperiuntur, perpendendum est, *a*) omnia facta et dicta Jesu Evangeliis haud esse inserta, ut testatur *Joannes C. 21, 25.*, sed quae traditione orali conservata ab aliquibus Patribus citari potuerunt, *b*) nonnullos Patres quandoque sensum dumtaxat alicujus loci biblici adlegasse: sic sensus textus *Clementis Rom.* in *2.* Epistola ad Corinthios idem est ac in hisce verbis Matthaei C. 25, 21: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (Conf. N. 431.). Sed si etiam unus alterque Pater textum aliquem ex Evangeliis apocryphis adlegasset, num hic error esset omnium Patrum *Justino M.* anteriorum?

2. Fatemur autographa Apostolorum et Evangelistarum dudum periisse; sed num id probat libros illos non esse auctorum, quibus tribuuntur? Num quis *Demostheni*, *Tullio*, *Horatio*, *Fl. Josepho* etc. sua opera abnegat, eoquod eorum autographa non amplius habentur? Provocatio Deistarum ad ista autographa non est nisi effugium eorum incredulitatis; si illa adhuc extarent, dicerent ipsa fuisse ab aliis conficta.

Autographum *Matthaei* tempore *Origenis* et *Hieronymi* adhuc existebat, sed ab *hebraï-*

zantibus corruptum, et *Petrus Alex.* testatur suo tempore, saeculo nempe IV., Autographum Evangelii *Joannis* in *Ecclesia Ephesina* adhuc adservatum fuisse (*e*).

3. Locus et tempus scriptionis Librorum S. N. F. tam bene noscuntur, quam cognoscitur ubi et quando *Plato*, *Aristoteles*, *Xenophon*, *Tullius* etc. sua opera scripserunt. Ut constet utrum liber aliquis sit auctoris, cujus nomen prae se fert, profecto necesse haud est, ut sciatur, qua in civitate, et quo anno sit conscriptus. Hujusmodi ridicula Deistarum effugia probant, quam malam causam defendant (Conf. N. 424. 426. 428. 433. 434. 438.).

4. Quid authentiae Librorum S. N. F. officit quod pauci et obscuri haeretici aliquos illorum rejecerint? Conformiter suae doctrinae debebant aut illos rejicere, aut se haereticos ac victos fateri. Commune fuit antiquis pseudodoctoribus, observante *Hieronymo*, *ut quidquid contrarium suo dogmati viderant, vel eraderent, vel etiam integre repudiarent.*

§. CCL.

Libri S. N. F. quoad substantialia incorrupti extant.

507.) I. Constat id ex consensu versionum horum librorum, nam *versio syriaca et italica*, primis Ecclesiae temporibus factae, *versio arabica*, *aethiopica*, *cophtica*, *armeniaca*, *persica*, *hieronymiana et gothica* quoad substantialia omnino conveniunt.

(*e*) *Petr. Alex. Tract. de Paschate.*

508.) II. Codices antiquissimi, a *Millio*, *Wetstein*, *Küster* et aliis maximo labore conquisiti, apprime cum antiquis versionibus ac cum Vulgata quoad substantialia concordant. Millius equidem in maximo codicum numero 30,000. variantium lectionum adnotavit, at hae variantes lectiones integritatem Librorum S. N. F. confirmant, cum omnes reducantur ad errores grammaticae, ortographiae, et mutationem synonymorum.

509.) III. Argumentum horum librorum, prout hodie extant, reperitur in multiplicibus operibus primorum Patrum Ecclesiae; iste autem consensus operum Patrum cum Libris S. N. F. eorum incorruptionem quoad substantialia probat.

510.) IV. Hi libri nunquam quoad substantialia corrumpi potuerunt, 1. ob Apostolorum, eorumque primorum successorum vigilantiam, 2. ob venerationem, qua fideles eos semper prosecuti sunt. Haec veneratio tanta fuit, ut primis Ecclesiae saeculis plurimi fideles maluerint martyrium subire, quam hosce libros Gentilibus comburendos tradere. Versio *Hieronymi* diu in Ecclesia recepta non fuit, eoquod, teste *Augustino*, in quibusdam verbotenus ab antiqua *versione itala* dissentiebat. Immo cum in quadam ecclesia africana (*f*) in *Prophetia Jonae* ex versione *Hieronymi* legeretur *hedera loco cucurbitae*, quae ultima vox in priori versione erat, populus concitato tumultu episcopum coëgit ad primam versionem resumendam. *Celso et Porphyrio*, Christianos adcusantibus quod suos Libros S.

(*f*) *August. Epist.* 71. *et* 82.

immutarent, *Origenes* audacter respondit, Catholicorum codices ubique esse tales quales ab initio fuerant, illos haereticorum dumtaxat esse diversos; haeretici vero, quamvis continuo a Catholicis corruptionis librorum S. adcusarentur, Catholicos numquam hujusmodi criminis incusarunt, solis *Manichaeis* exceptis, et aevo dumtaxat *Augustini;* hic vero doctor Ecclesiae eos provocavit ut mendacem adsertionem probarent.

511.) V. Si in Libris S. N. F. corruptio substantialis contigisset, illa facta fuisset vel a *Judaeis*, vel a *Paganis*, vel a *Catholicis*, vel ab *Haereticis*, nihil autem horum dici potest: nam 1°. non a *Judaeis*, siquidem ex iis expunxissent quae de eorum obstinatione, caecitate, de praedictione eversionis eorum status, metropolis ac templi ibi leguntur, atque tunc tanti criminis a Christianis adcusati fuissent, aliunde exemplaria omnia eorum potestati subjecta haud erant; 2°. non a *Paganis* cum hi omnia exemplaria per orbem dispersa ad manum non haberent, atque in omni casu ex iis sustulissent, quae paganismum falsitatis arguunt; 3°. non a *Catholicis*, nam haeretici eis hanc infamiam exprobrassent; 4°. tandem non ab *Haereticis*, quia hi Catholicorum exemplaria non habebant, et quando propria exemplaria corrumpebant, Catholici continuo reclamarunt, atque ita Haereticorum errores in Catholicorum exemplaria non irrepserunt.

§. CCLI.

Vindiciae incorruptionis Librorum S. N. F.

512.) Opponunt Deistae cum *Collins* (g) 1°. *Victor Tunonensis*, episcopus Africanus, in suo Chronico ait: *Messala consule jubente Anastasio imperatore sancta Evangelia tamquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa et emendata fuisse.* Idem *Isidorus Hispalensis* in Chronico refert. 2°. Innumerae lectiones variantes in antiquis codicibus reperiuntur.

513.) Ast 1°. *Victorem Tunonensem* et *Isidorum* falso rumore deceptos fuisse, patet *a*) quod alii historici et chronologi contemporanei, et illis celebriores, ut *Procopius*, *Evagrius*, *Cedrenus* etc., qui facta impia Anastasii imperatoris recensent, de ista corruptione Evangeliorum prorsus silent, *b*) quod codices graeci Anastasii temporibus anteriores, opera Patrum ante et post hanc epocham scripta, facta textusque varios Evangeliorum referentia, atque versiones antiquae, inter se, et cum Evangeliis modo extantibus apprime concordant. *c*) Impossibile fuisset Anastasio Evangelia generatim corrumpere, cum exemplaria in regionibus ejus potestati haud subjectis ad manum non haberet.

2°. Istae variantes lectiones nonnisi verba adficiunt, non vero sensum, saltem in rebus fidei et morum (Conf. N. 508.).

(g) *Collins sur la liberté de penser.*

§. CCLII.

Libri S. N. F. sunt veraces.

514.) Cum constet, omnes Libros S. Christianorum Deo inspirante esse conscriptos (N. 34-42.), proinde eos esse veraces, superfluum foret veracitatem Librorum S. N. F. philosophice demonstrare, nisi existerent Infideles, increduli ac Deistae nonnisi ratiocinia admittentes, qui illam negant, ac impugnant. Incredibile dictu est quot difficultates, frequenter ineptissimas, Deistae ultimorum temporum contra veracitatem scriptorum S. N. F. congesserint. At *O curas hominum, quantum est in rebus inane!* Necessitati igitur nostri aevi consulturi, veracitatem scriptorum S. N. F. fuse demonstrabimus, incredulorum Deistarumque difficultatibus dein satisfacturi.

515.) Apostoli et Evangelistae in iis quae narrant I. *decepti non fuerunt*, II. *in narratione sinceri fuerunt*, seu alios decipere noluerunt, III. *immo alios ne decipere quidem potuissent*, etiamsi voluissent; consequenter eorum libri sunt *veraces*, plenamque fidem merentur. Et

516.) I. Quidem alii Scriptores S. N. F. factorum et dictorum, quae recensent, *testes oculati et auriti* fuerunt ut *Matthaeus*, *Joannes*, *Petrus*, *Jacobus* ac *Judas*; et hinc Joannes: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris*, inquit,... *testamur et annuntiamus* (*I. Epist. 1, 1-2.*); alii ut *Paulus*, *Lucas* et *Marcus*, scriptores synchroni fuerunt, et scripserunt quae ab Apostolis immediate audierant, quae de illis viderant, a testibus fide dignis perceperant, et quae ipsi fecerant;

quare Lucas: *Sicut tradiderunt nobis*, ait, *qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine scribere* (*C. 1, 2-3.*).

Ex quibus patet, Scriptores S. N. F. decipi non potuisse in iis factis et dictis, quae litteris mandarunt, cum ad videndum et audiendum, atque testandum quae quis vidit et audivit nec philosophia nec scientiae requirantur. His adde scripta *Pauli*, *Lucae* et *Marci*, qui testes immediati factorum ac dictorum Jesu non fuerunt, a testibus immediatis esse adprobata; *Petrus* enim adprobavit Evangelium *Marci*, et quasi suum fecit (N. 430.), *Paulus* adprobavit Evangelium *Lucae* ac adoptavit (N. 435.), et *Petrus Paulum* adprobavit (*II. Pet. 3, 15-16.*). Pauca vero, quae de nativitate ac de infantia Jesu in Evangeliis leguntur, plenam fidem a caeteris sortiuntur.

517.) At nec Apostoli a Christo tamquam ab insigni impostore decepti fuerunt. *Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit* nomen Christi impostoris proferre, cum tamen Increduli nonnulli eo impietatis progressi sint, ut blasphemare haud erubuerint Christum esse impostorem (*h*), opportunum

---

(*h*) Christum impostorem esse, insanivit anonymus auctor operis: *De scopo Jesu ejusque discipulorum* germanice inscripti: *Von dem Zwecke Jesu und seiner Junger. Noch ein Fragment des Wolfenbutelischen Ungenanten, herausgegeben von Gotth. Ephr. Leszing. Braunschweig* 1778. Hic impius anonymus per philosophemata ex quatuor Evangeliis probare frustra molitur, Christum et Apostolos impostores fuisse, ac pro

est, impostoris ac fanatici notas characteristicas paucis tradere.

Impostor et fanaticus est 1. homo callidus, phreneticus in suis scriptis ac verbis, in actionibus externis frequenter convulsivus, se Deo acceptum jactat, et visiones venditat, quas haud probat, 2. est magnatum adulator, 3. impietatem umbra sanctitatis occultat, 4. sua omnia studiose componit, 5. virtutem clam parvi facit, 6. propriis utilitatibus studet, illisque commoda publica postponit, potentiam ac honorem quaerit, 7. adulatione aliorum captat benevolentiam, 8. orationis vanitate plausum vulgi quaerit.

Hujusmodi imaginem nobis suppeditant ratio et historia omnium impostorum, ut *Montanistarum*, *Muhammedis*, *primorum Anabaptistarum ac Quacquerorum*, *Fanaticorum caemeterii S. Medardi Parissis*, *Schwedenbourg*, *Joannae Southcott*, quae se anno 1814. Londini Messia gravidam esse jactitabat, variasque visiones venditabat. Hic adpello ad Incredulorum bonam fidem, si tamen in religionis negotio bonae fidei sunt ca-

---

scopo habuisse ruinis destructae Reipublicae Judaïcae novum regnum temporale sibi superstruere (Conf. N. 552.).

Idem jam pridem delirarat auctor anonymus infamis operis de *Tribus Impostoribus*, *Moyse* nempe, *Christo* ac *Mahomete*, quondam perperam adscripti *Frederico II. imperatori*, et *Petro des Vignes*. Nonnulli viri docti equidem negarunt infandum hoc opus extitisse; at ipsum latine jam extitisse saeculo XVI., probat auctor libri germanice inscripti: *Das erste schlimmste Buch, oder historich-kritische Abhandlung von der religionslästerlichen Scrift: de Tribus Impostoribus, Chemnitz* 1764.

paces, ipsosque provoco, ut notas characteristicas impostoris in vita Jesu Christi nobis exhibeant.

Ajunt equidem, summam imposturae Jesu in eo praecise constitisse, quod hasce impostoris notas occultare sciverit. At eo ipso fatentur se hasce notas in vita Jesu non deprehendere, probantque potius semetipsos esse impostores. Caeterum impostori ac fanatico tam parum liberum est suam imposturam ac fanatismum semper occullere, quam furioso liberum est nulla signa dare sui furoris, quod Increduli fanatici suo exemplo demonstrant. Fanaticus impostor potest equidem inintelligibilia loqui, sibi imaginari quod sit filius Dei, visiones ac revelationes habeat, at haec per vera miracula cujuscumque generis, per vaticinia eventu comprobata, vocesque coelitus delapsas confirmata fuisse, nonnisi fanatici ac insanientis est credere.

Celeber Deista *J. J. Rousseau* in *Emilio* (*i*): *Quod spectat*, inquit, *revelationem*, *si melior philosophus ac doctior essem*, *forte sentirem ejus veritatem et utilitatem*, *quam habet pro iis*, *qui per fortunium eam agnoscunt*. Dein cum videat probationes revelationis, quas refellere non potest, et difficultates, quas solvere nescit, ait, se revelationem nec adprobare, nec rejicere. Lumine autem veritatis revelationis mox perculsus: *Me*, inquit, *fateor quoque*, *in stuporem agit Scripturarum majestas*, *sanctitas Evangelii cor ipsum rapit. Libros Philosophorum utut elegantes inspice*, *quam sunt exiles in comparatione isti-*

(*i*) *Emile T. III. Liv.* 4. *Amst.* 1768.

us! Fierine potest, ut liber adeo simplex, et simul adeo sublimis sit opus humanum, et ille, cujus in eo narratur historia, purus homo fuerit? Haeccine vox enthusiastae vel ambitiosi sectarii? Quae ejus mansuetudo, qui morum candor? Quae in instructionibus gratiae? Quae principiorum majestas? Quae profunda sapientia in sermonibus? Quae in responsionibus animi praesentia, quae sapientia, quae rectitudo? quodnam in omnes adfectus imperium? Ubi est homo ille, ubi est sapiens, qui norit agere, pati ac mori sine imbecillitate ac ostentatione? ..... Profecto si vita et mors Sacratis sapientem arguunt, vita et mors Christi Deum evincunt (*k*). Con-

---

(*k*) En integrum textum gallice: *Je vous avoue aussi que la majesté des Ecritures m'étonne, la sainteté de l'Evangile parle à mon coeur. Voyez les livres des Philosophes avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple, soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire, ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs! Quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle elévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'ésprit! Quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans foiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire* (*de Rep. Dial.* 1.), *couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jesus-Christ: la ressemblance est si frappante, que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un*

cludat ergo quisquis ultro caecutire nolit, Christum non decepisse suos Apostolos.

518.) II°. *Apostoli sinceri fuerunt*, seu alios decipere noluerunt. Quo enim fine orbem universum decepissent? an spe divitiarum, aut commodorum vitae? At sua sponte pauperrimi fuerunt, in carceres detrusi, flagris excepti, et morti traditi, prout praevidere debebant; hinc Paulus Corinthiis: *Nos stulti*, inquit, *propter Christum . . esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedi-*

à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage; et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son esprit, fut autre chose qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avoient mise en pratique; il ne fit que dire ce qu'ils avoient fait, il ne fit que mettre en leçons leurs exemples. Aristide avoit été juste avant que Socrate eût dit ce que c'étoit la justice; Leonidas étoit mort pour son pays avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer la patrie; Sparte étoit sobre avant que Socrate eût loué la sobriété: avant qu'l eût défini la vertu, la Grèce abondait en hommes vertueux. Mais où Jesus avoit-il pris chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme, la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus héroiques vertus henora le plus vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jesus expirant dans les tourmens, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jesus au milieu d'un supplice affreux prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jesus sont d'un Dieu. Emille T. III. Liv. 4. p. 117-119. Amst. 1768.

mur.. laboramus operantes manibus nostris, maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus, tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema. (I. Cor. 4, 10-13.)

Increduli equidem blasphemant, Apostolos ex fanatismo, et ob gloriam novae inventae religionis alios decepisse. At ex characteribus intrinsecis eorum scriptorum evidentissime patebit, neminem umquam a fanatismo, et vana gloria, magis remotum fuisse quam illos. Caeterum an fanatici et ambitiosi, quos Increduli parum sibi constantes alias rerum omnium ignaros dicunt, Doctrinam legi naturali tam conformem, tam simplicem, et simul tam sublimem, passionibusque hominum, quos decipere statuissent, tam contrariam, excogitare potuissent, aut confecissent? siccine impostor agit cum iis, quos decipere, sibique devincire conatur? Apostoli igitur praedicarunt Christi religionem, eoquod de ejus veritate persuasi omnino erant. Esto, ut Increduli insaniunt, eos Christo extremas inter miserias adhaesisse ob spem terreni regni ab illo excitandi; sed cum haud adeo creduli essent ut Sacrae Paginae testantur, quomodo hanc spem conceperunt nisi per vera miracula a Christo in signum suae divinitatis edita? Quomodo post Christi ignominiosissimam mortem, dum illis nihil amplius ab eo expectandum erat, ei adhaesissent, nisi illum redivivum vidisssent, prout ipsis promiserat? Quomodo duodecim piscatores idiotae ausi fuissent magistratibus Judaeorum miracula manifeste falsa obtrudere? Quomodo philosophis paganis, principi-

bus et imperatoribus religionem falsam, ipsorum passionibus inimicam, annuntiare, et Christum, paulo ante probrosissimae morti traditum ut verum Deum praedicare praesumpsissent? An ab Hebraeis et principibus paganis tormenta omnia ipsaque mors ipsis pertimescenda non erant? Profecto nisi Apostoli de veritate miraculorum Christi ejusque religionis plene convicti fuissent, intelligi haud posset, quomodo consilium dumtaxat inire potuissent persuadendi *Judaeis*, hominem, quem paulo ante ultimo supplicio adfecerant, esse eorum *Messiam*, et *Paganis*, virum hebraeum, quem illis anuntiabant, esse verum Deum.

Sed Apostoli suae convictionis et sinceritatis signa evidentia dederunt, quod patet

519.) *Ex characteribus intrinsecis* ipsorum scriptorum; id enim liquet 1°. *ex stilo simplici ac neglecto* millenis circumstantiis personalibus ac localibus intexto, et quo res maxime sublimes modo simplicissimo exponunt; hoc autem evincit, illos nullius benevolentiam captasse, ipsosque de rebus, quas scribebant, certissimos fuisse; 2°. *ex contemptu gloriae*; saepissime enim infimum suum ortum, professionem, ignorantiam, rusticitatem, errores ac imbecillitates profitentur; 3°. *ex eorum pietate sincera, et propriorum commodorum neglectu*; quare Paulus: *Maledicimur*, inquit, *et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus etc. Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis ... Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae... Praedicamus Christum crucifixum Hebraeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* (1. Cor.

4, 12-13. Act. 20, 33-34. 1. Cor. 2, 1. et 1, 23.); 4°. *ex modo, quo suum Apostolatum auspicati et prosecuti sunt.* An Apostoli in metropoli Judaeae, ipso die Pentecostes, ubi, si falsa miracula ut vera et notoria praedicassent, a quocumque etiam rudissimo falsitatis argui potuissent, Christi miracula, ipsamque resurrectionem tot conatibus per magistratus suppressam, palam et imperterrite annuntiassent, nisi bonae fidei fuissent? 5°. *ex consensu Evangelistarum*, qui licet diversis temporibus, diversisque in locis scripserint, eadem tamen referunt; 6° tandem *ex eorum consensu cum scriptoribus profanis* (Conf. N. 525.).

520.) III°. *Apostoli alios ne decipere quidem potuissent, etiamsi voluissent;* 1°. enim si falsa praedicassent a Judaeis, qui cum Christo vixerant, manifestae falsitatis convicti fuissent; Judaeorum enim fuisset illa falsa probare, quae eorum religionem abrogatam esse comprobabant. 2°. Si quae de suo magistro narrabant a veritate aliena fuissent, et sua dicta miraculis non confirmassent, nec potuissent Judaeos a sua religione, quae apud eos per plura saecula stabilita erat, et cui pertinacissime adhaerebant, avellere, et ad hominem ab ipsis paulo antea ignominiosissima morte adfectum ut suum Messiam, et Deum adorandum perducere, nec Paganos a religione, quae apud omnes populos hujus universi, parva natione hebraea excepta, dominabatur, et passionibus amicissima erat, ad austeram Christi religionem, passionibus inimicissimam, pertrahere. Adde omnes, qui tribus primis saeculis Ecclesiae Christi fidem am-

plectebantur, debuisse honoribus, divitiis, ipsique vitae valedicere, et tamen tot Christianorum milliones tempore *Tertulliani* in Imperio Romano fuisse, ut hic in sua Apologia scriberet, Imperium Romanum quasi fore desertum, si Christiani ex eo secederent, et demonstratum habebis, Apostolis, spectatis circumstantiis, impossibile fuisse, ut quae numquam contigissent universo orbi ut vera obtruderent.

521.) IV°. Si Apostoli impostores fuissent sequeretur 1°., maximam orbis terrarum partem per 18. saecula fuisse delusam, et quidem per 12. piscatores illitteratos, viros doctissimos ac integerrimos saeculorum christianorum in re summi momenti fuisse deceptos, et quamplurima Martyrum millia suum sanguinem pro falsa religione fudisse; 2°. vaticinia V. F. casu ad absurdum soli Christo, et perperam quidem convenisse. Videant Increduli, utrum haec sensum communem non offendant: *Tria sunt incredibilia*, ait *Augustinus*, *quae tamen facta sunt: Incredibile est Christum resurrexisse cum carne, et in caelum ascendisse cum carne; incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis, persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere, secundum coguntur et cernere, quod non inveniunt unde sit factum, si non credunt tertium* (*l*).

(*l*) *August. De Civit. Dei Lib.* 21. *C.* 5.

§. CCLIII.

Quod natio Judaea Christum ut Messiam non agnovit.

522.) *Thomas Woolston*, *David Hume*, *J. J. Rousseau* (*m*) aliique Deistae, miracula Christi in Evangeliis relata vera fuisse miracula negant; ajunt, si illa vera fuissent miracula, Judaei, isto aevo Messiam expectantes, et imprimis Synagoga, uti etiam philosophi pagani, ista credidissent, et Christi religionem amplexi essent: id autem factum non est; *Joan.* enim 7, 48. Pharisaei: *Numquid*, ajunt, *ex principibus aliquis credidit, aut ex Pharisaeis? sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt. Paulus 1. Cor. 1, 26: Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* Christi fidem amplexi sunt.

Concludit *Woolston*, miracula Christi in *sensu allegorico* intelligenda esse, E: G: caecorum illuminationem de mentis illuminatione, quae Christo veritatem annuntiante obtinuisset. Absona haec opinio etiam *Spinozae* arrisit, quod Patres nonnulli, praesertim *Origenes*, plura ex Scriptura S. *in sensu allegorico* exponunt.

Mirum est, quod Increduli ac Deistae, qui tamen philosophi audiri volunt, non attendant, homines practice tales non esse, qua-

(*m*) *Woolston Commentationes de miraculis Christi Londini* 1728. *Hume Conamen morale et politicum P.* 2. *de Miraculis. Rousseau Lettres de la Montagne.*

les esse deberent; utique si omnes homines in praxi essent veritatis amantes, severae virtutis studiosi, voluptatum osores, et aeternae suae saluti devoti, omnes, praesertim Judaei, ab initio Christi religionem amplecti debuissent; at maxima pars hominum talis practice non existit. Si id verum est de hominibus generatim sumptis, multo magis hoc verum est de Judaeis, eorum sacerdotibus, ac Pharisaeis aevo Christi et Apostolorum existentibus, de nobilibus, potentibus ac philosophis paganis. Quot homines adhuc modo importunam amant veritatem, illosque qui illam praedicant ac inculcant? Quot modo observant quae religio, quam profitentur, praescribit? An adhuc plerique hominum non indulgent vitiis, licet religio ea proscribat? Caeterum Religio Catholica docet, fidem esse donum Dei, proinde ad pellendam mentis caecitatem, cordisque corruptionem, praeter externam annuntiationem religionis requiritur gratia Dei interior.

Pharisaei Christi miracula numquam negarunt. Adseruerunt equidem neminem e suis et ex principibus tum temporis Christum secutum esse; at non dixerunt, ejus opera divina ac miracula falsa esse; immo *Joan 11, 47-48. Pharisaei* et Judaeorum principes: *Quid facimus*, inquiunt, *quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Fatebantur ergo miracula Christi, sed in eum non crediderunt, quia Christus eorum praejudiciis et passionibus adversabatur. Notum est, Judaeos et Synagogam aevo Christi, majorum suorum relicta doctrina, praejudiciis abreptos, expectasse *Messiam* terrenum, qui princeps potentissimus futurus florentissimum

regnum Davidis restitueret. Cum *Jesus Nazarenus* se talem non sisteret, sed miracula maxime extraordinaria patraret ad probandam divinam suam missionem, et quod esset Judaeorum Messias a Prophetis praedictus, Judaei veritatem miraculorum inficiari haud valentes, quaerebant effugia ad negandas miraculorum consequentias atque Christi divina opera attribuebant artibus magicis, vel usurpationi nominis *Jehovae*, quod absurdum omnino erat; cum in confirmationem erroris vera miracula fieri nequeant.

Hinc ineptiae de sensu allegorico miraculorum Christi per se ruunt. Profecto si *resurrectio Christi* nonnisi *allegorice* seu mystice contigisset, *Thomas* difficultatem haud movisset illam credendi. Conf. N. 523.

§. CCLIV.

Num soli homines rudes ac plebei Christi miracula ab initio crediderunt, ejusque religionem amplexi sunt? De Vampiris.

523.) *Woolston* aliique Deistae praetendunt, nonnisi homines rudes et plebejos Christi miraculis credidisse, et ejus religionem ab initio amplexos esse, horum autem fidem esse caecam, nihilque probare.

J. J. Rousseau: *Estne in mundo historia*, ait, *tot testimoniis comprobata ac illa Vampirorum? Enimvero nihil omnino deest, cum illorum existentiam attestantur processus verbales, testimonia notariorum, chirurgorum, parochorum, magistratuum, probationes juridice sufficientes. Et tamen quis credat Vampiros!*

Sed si etiam soli homines rudes ac plebei Christi miraculis ab initio fidem adhibuissent, an inde sequeretur, illa esse falsa? Num rudes et plebei bonis oculis et auribus instructi non sunt ut docti et nobiles? Ad credendum autem miracula Christi, illum v. g. paucis panibus, paucisque piscibus plura hominum millia refecisse, caecis visum, claudis incessum, mortuisque vitam reddidisse, num requirebatur, ut qui haec videbant et credebant essent docti, nobiles, ac divites? Primi Christo credentes fuerunt utique 12. illitterati piscatores, multique de populo, at falsum omnino est, omnes, qui ab initio Christi fidem amplexi sunt, fuisse rudes ac plebeios, nam num rudes ac plebei erant *regulus in Capharnao*, *Lazarus*, *Nicodemus*, *Joseph ab Arimathaea*, *Pudens Senator*, *Flavius Clemens Consul Romanus*, *Sergius Paulus Proconsul*, *Cornelius Centurio*, *Epaphroditus*, *Erastus*, plures *Asiarchae* seu Asiae principes, plures *magnates de domo Caesaris?* Silentio praeterimus, quam maximum numerum nobilium matronarum. Inter doctos recensentur plures *Archisynagogi* et *Sacerdotes*, *Gamaliel*, *Paulus*, *Dionysius Areopagita*, *Clemens Romanus*, *Ignatius M.*, *Polycarpus*, *Papias*, *Clemens Alex.*, *Justinus*, *Athenagoras*, *Hegesippus*, *Tatianus*: *Irenaeus*, *Theophilus Antiochenus*, *Dionysius Corinthius*, *Quadratus*, *Aristides*, *Melito*, *Miltiades*, *Origenes* et *Tertullianus*, qui omnes I°. et II°. saeculo Ecclesiae fidem Christi amplexi sunt.

Non ergo rudes et plebei dumtaxat ab initio Christi miracula crediderunt, sed viri cu-

juscumque aetatis, et conditionis; plures sane fuerunt rudes et plebei, ut Paulus *I. Cor. 1, 26.* testatur, sed hi etiam constituunt maximam partem societatis humanae, atque dociliores sunt quam sapientes ac divites. *Plinius Jun.* saeculo 1°. de magno numero Christianorum ad imperatorem *Trajanum* scribebat: *Visa est mihi res consultatione dignissima maxime propter periclitantium numerum: multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim per civitates, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est* (n). Conf. N. 525. 1.

Tertullianus saeculo 2°. in sua *Apologia* Romanis: *Hesterni sumus,* ajebat, *et vestra omnia implevimus, urbes; insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum* (o).

Quare *Hieronymus* de Incredulis quondam dicebat: *Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant, Ecclesiam nullos philosophos, et eloquentes habuisse doctores nullos, quanti et quales viri eam fundaverint, extruxerint, ornaverint, et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant.*

Paucis, totus terrarum orbis Christi miracula credidit, si falsa fuissent, miraculum portentosissimum, immo absolute impossibile,

---

(n) *Plin. Lib.* 10. *Epist.* 97.
(o) *Tertul Apolog. C.* 37.

fuisset, orbem universum ea ut vera credidisse, et 12. piscatores ignobiles, ignotos ac illitteratos id ipsi persuasisse.

Historia *Vampirorum* minime ad rem est. Morbus fuit cerebri a timore productus, qui *Vampirorum morbus* vocatus fuit, quique in *Hungaria*, *Moravia* ac *Polonia* olim grassatus fuit. Eo laborantes sibi imaginabantur, mortuos de nocte e sepulchris ad illos accedere, ipsisque sanguinem e venis exsugere, multi hoc delirii morbo in dictis regionibus mortui sunt.

Verum morbus iste paucas dumtaxat regiones vastavit, fidesque, qua *Vampiri* credebantur spectra, dictis in regionibus ne quidem universalis fuit, saltem morbus iste, et fides in ista spectra, dudum cessarunt. Testimonia vero de istis Vampiris talia non fuisse, qualia *J. J. Rousseau* illa exhibet, sat patet quod cum Vampirorum morbo in fumum abierint.

Res vero se longe aliter habet cum fide in miracula et religionem Christi; haec enim non in paucis dumtaxat regionibus, sed in universo orbe obtinet, et hodiedum mundus aeque convictus est de veritate miraculorum religionisque Christi, quam fuit tempore *Neronis*, *Domitiani*, *Trajani* ac *Constantini M.*

§. CCLV.

Quod philosophi pagani Christi religionem semper impugnarunt.

524.) Docti et philosophi gentiles, excipiunt Deistae, Christi religioni continuo contradixerunt, philosophi eam impugnarunt scri-

ptis, quae Christiani suppresserunt. Si scripta illa adhuc existerent falsitatem miraculorum Christi forte videremus!

Verum est, doctos hujus saeculi ab initio Christi miraculis ac religioni contradixisse, at irrito conatu, cum Christi religio de omnibus hisce obstaculis triumphaverit, et sedem suam ut Regina mundi fixerit, ubi antea sedes idololatriae erat, atque viri doctissimi in toto Imperio Romano jam I°. Ecclesiae saeculo ejus sacra professi sint.

Eo ipso autem quod opera, quibus philosophi pagani Christi miracula divinamque religionem impugnarunt, quoad magnam partem perierunt, evincitur, paganos ipsos ea parvi fecisse, secus enim illorum exemplaria multiplici descriptione multiplicassent, atque ipsa ita ruinae subtraxissent. Adhucdum autem impia ista opera quoad magnam partem habentur; extant enim fragmenta operis *Celsi* in *octo libris Origenis adversus Celsum*, fragmenta *Porphyrii* in *Eusebio Caes.*, fragmenta *Juliani* imp. in *Cyrillo Alexandrino*, et *Philalethes Hieroclis* adhuc existit.

Verum haec veterum gentilium philosophorum soripta probant praecise quod Deistae negant, veritatem nempe miraculorum Christi, ejusque divinae religionis, cum enim hi philosophi existentiam miraculorum Christi fateantur, eaque dumtaxat magiae, aliisque causis ineptis attribuant, testantur se miracula Christi ceu facta credidisse; bona ergo fides illorum tantum quoad explicationem deerat, proinde multo aequiores erant quam Deistae nostri aevi. Quantam vero vim inepta philosophorum paganorum scripta in homines bo-

nae fidei habuerint, patet, quod quando adhuc vigebant, innumeri homines Christi fidem amplexi sint, et milleni Christiani suum sanguinem pro veritate Evangelii fuderint.

§. CCLVI.

Num historici gentiles de miraculis N. F. siluerunt?

525.) Quis scit, ajunt Deistae, utrum Apostoli Jesu reapse auspicati sint suam missionem Hierosolymis, ubi falsitatis argui potuissent? Historici profani de hoc silent. 2°. Si tot prodigia, quae in Evangeliis narrantur, vera essent, an historici gentiles de iis locuti non essent?

Deistae hac sua objectione evincere vellent, Exangelistas Jesu Christi historiam, et miracula, quae in ea leguntur, ementitos esse, qui ultimus est scepticismi conatus. Nos vero ab iis dumtaxat petimus, quomodo ergo totus orbis Christianus factus est? Profecto si universus orbis sine miraculis religionem Christi, passionibus prorsus inimicam, amplexus est, haec ipsa conversio, ut *Augustinus* olim observavit, maximum omnium miraculorum foret. Paucis autem dicimus: historia Jesu Christi et Apostolorum continetur in libris authentia, qua major excogitari nequit, praeditis; quare quae in eis referuntur tanta certitudine gaudent, ut major inveniri nequeat.

2°. Ineptissimum est ab infensissimis Christianorum hostibus petere testimonia in probationem eorum religionis, eo magis quod historici pagani vix occasionem habuerint de miraculis N. T. loquendi. Interim tot existunt

testimonia in historicis paganis, ut veritas factorum Evangelii ex iis solis demonstretur. Haec testimonia fuse videri possunt in *Eusebio Caesareensi*, cl. *Huet*, *Houteville*, *Adisson*, *Bullet*, *Duvoisin*, *Mayer* etc. (*p*). Quaedam dumtaxat hic referemus, ut ad Deistarum canfusionem pateat, scriptores paganos de miraculis evangelicis non prorsus siluisse: sic

a) *Chalcidius*, philosophus platonicus III. saeculi, in suo *Commentario in Timaeum Platonis* loquitur de adparitione *novae stellae* et de *adoratione Magorum*.

b) *Macrobius*, auctor ethnicus saeculi IV., *libro 2. C. 4. Saturnalium* commemorat *infanticidium Herodis Ascalonitis*, aitque, *Augustum* imp. cum audiisset, *Herodem* eodem circiter tempore occidi jussisse *Antipatrum* filium suum primogenitum, dixisse: *Melius est Herodis porcum esse quam filium* (*q*).

c) *Celsus*, Philosophus epicureus saeculi II. apud *Origenem* fatetur, Christum in *AEgyptum* delatum fuisse, et in *Discursu de ve-*

(*p*) *Euseb. Demonst. Evang. Huet: Demonst. Evang. Houteville: La religion chrétienne prouvée par des faits. Adisson: De la religion chrétienne, avec les notes de Seigneux de Correvon, Lausanne* 1757. *Bullet: Histoire de l'établissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et payens, Paris* 1764. *Duvoisin: Démonstration Evangélique, Paris* 1802. *Mayer: Specimen defensionis et expositionis historiae J. C., et Apostolorum, ex graecis et romanis scriptoribus profanis, germanice*, 1805.

(*q*) *Cum audisset* Augustus, scribit Macrobius, *inter pueros, quos in Syria Herodes rex Judaeorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse quam filium.*

(*b*) *Fl. Jos. Antiq. Judaic. Lib.* 6. *C.* 8. *Lib.* 8. *C.* 2. 5.

ritate miracula Christi minime negat, sed ea magiae insulse attribuit.

d) *Phlegon*, Libertus *Adriani* imp. circa annum 156. aerae vulgaris mortuus, *libro 13. Olympiadum* insigne dat testimonium de vaticiniis J. C., de eorum eventu praesertim de ruina Hierosolymae, atque ibidem pariter mentionem facit de *terrae motu* et de extraordinaria *eclipsi solari*, quae tempore mortis Christi contigit, et quam collocat 4°. anno Olympiadis 202., qui est annus obitus J. C. et 8. *Tiberii* imperatoris.

e) *Thalus*, auctor graecus saeculi I., *libro 3. historiae syriacae* pariter testatur anno 18. *Tiberii* imp. subitam caliginem in ipsa meridie visam fuisse.

f) Saeculo III°. adhuc existebat in archivis romanis relatio, quam *Pilatus* de vita, miraculis, et morte J. C. Romam miserat. *Justinus*, *Tertullianus* etc. saepe ad archiva romana contra Gentiles provocarunt. *Tertullianus* de extraordinaria eclipsi, quae tempore Christi mortis contigit, Romanis: *Eum*, inquit, *mundi casum relatum in archivis vestris habetis* (*r*). Juxta *Tertullianum* et *Eusebium* Tiberius relatione Pilati adeo commotus fuit, ut ad Senatum retulerit de Christo deorum imperii numero inserendo, quod Senatus, *Sejano* praesertim resistente, renuit. Quidquid critici nonnulli de hoc facto dicant, ipsum verisimile omnino reddunt et mos gentilium Romanorum magnis viris honores divinos deferendi, et testimonium *Tertulliani* ac *Eusebii*.

(*r*) *Tertul. in Apolog.*

g) *Tacitus* auctor saeculi I., in suis *Annalibus* refert, Christum sub *Pontio Pilato*, gubernatore Judaeae, morti fuisse traditum, et plurimos Christianos sub *Nerone* imp. incendii Urbis falso adcusatos horrendis suppliciis fuisse enecatos.

h) *Suetonius*, qui circa annum 118. aerae vulgaris *Adriani* imp. secretarius fuit, in vita *Claudii* refert, hunc imperatorem omnes Judaeos et Christianos Roma expelli jussisse, quod cum *Actuum Apostolorum C. 18.* apprime convenit.

i) *Plinius junior*, anno 115. aerae vulgaris defunctus, in celebri ad *Trajanum* imperatorem epistola scribit, tantam multitudinem Christianorum in urbibus et pagis, inter ipsa tormenta crescentium et sanctissime viventium fuisse, ut non amplius auderet eos punire (*s*); quare Trajanus ipsi rescripsit, in Christianos inquirendum non esse, si autem denuntiarentur et convincerentur puniendos esse (*t*).

k) *Lampridius*, scriptor saeculi IV., in vita *Alexandri Severi* imp. narrat, Alexandrum singulis matutinis in suo Larario *Christum* cum *Abrahamo* et *Orpheo* coluisse, ei templum erigere, ipsumque inter deos collocare voluisse; sed addit, imperatorem ab hoc proposito remotum fuisse ab iis, qui ei observabant, hoc in casu omnes Christianos futuros, et templa deorum fore deserta. Idem *Lampridius* testatur, *Adrianum* imp. Christum pariter deorum albo inserere voluisse, et in

(*s*) *Plin. Lib.* 10. *Epist.* 97.
(*t*) *Ibid. Epist. sequenti.*

multis urbibus templa idolis vacua extrui jussisse, quae executioni ejus propositi destinata fuisse videntur.

l) *Hierocles*, Alexandriae sub *Diocletiano* imp. circa annum 303. aerae vulgaris Praefectus, in *Philalethe* miracula Christi fatetur, sed iis absurde opponit fabulosa *Apollonii Thyanaei* prodigia.

m) *Porphyrius*, philosophus platonicus III. saeculi, miracula Christi, Apostolorum, et primorum Christianorum minime inficiatur, sed ea magicis artibus stolide attribuit.

n) *Julianus* imperator, qui saeculo IV°. imperavit, miracula Christi haud negat, sed effutit, ea *in vico Bethsaïde in quibusdam caecis et claudis* patrata esse. Veritatem vaticinii Christi de urbe Hierosolyma ejusque templo fateri debuit, in irrito conatu, quo templum hierosolymitanum reaedificare molitus est.

En igitur testes paganos, profecto haud suspectos, qui facta evangelica sua relatione confirmarunt! Eadem facta corroborantur agendi ratione primorum haereticorum; nam *Simon Magus* praecise propter miracula *Philippi* baptizari voluit. *Gnostici*, *Montanistae*, aliique illius temporis haeretici, nihil intentatum reliquerunt ad Christi, Apostolorum, primorumque fidelium miracula per fraudes adparenter imitanda.

Sed quod magis adhuc in Deistarum confusionem vertit, est confessio Judaeorum in suo *Thalmude*; ibi enim non solummodo miracula Christi et Apostolorum, sed et illa primorum Christianorum fatentur, licet ea usurpato nomini Jehovae, vel artibus magicis attri-

buant, quod absurdum est, ut jam monuimus N. 522. Immo *Thalmudici* tot particulares vitae Jesu circumstantias referunt, quamvis fabulis rabbinicis deturpatas, ut veracitas Scriptorum S. N. F. ex iis miro modo confirmetur.

§. CCLVII.

Silentium antiquorum historicorum judaeorum de factis evangelicis.

526.) Verum, excipiunt Deistae, antiqui scriptores judaei, *Philo* nempe et *Fl. Josephus* de factis evangelicis mentionem nullam faciunt. Sed *Philo* ne quidem occasionem habuit in suis scriptis de iis loquendi; falsum autem est, *Fl. Josephum* de ipsis haud loqui: nam mentionem honorificam facit de *Joanne Baptista* (*u*), mortem regis *Agrippae* eodem modo recenset (*v*) ac Lucas in *Actibus Apostolorum*, et scribit, *Jacobum fratrem Jesu, qui dicitur Christus*, lapidibus obrutum fuisse jussu *Anani* summi pontificis Judaeorum (*x*). De seditione Judaeorum in *Pontium Pilatum* post Christi mortem exorta loquens, insigne hoc de Jesu Christo testimonium refert: *Eodem tempore*, ait, *fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere; erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum, qui libenter vera suspiciunt, plurimosque tam de Judaeis, quam de Gentibus, sectatores habuit: Christus hic erat, quem accusatum a nostrae gentis principi-*

(*u*) *Fl. Jos. Lib.* 18. *Antiqu. C.* 7.
(*v*) *Ibid. Lib.* 19. *C.* 7.
(*x*) *Ibid. Lib.* 20. *C.* 8.

bus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant; apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa praedixerunt; et usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit (y).

Sed, ajunt Deistae, hoc Josephi testimonium nimis clarum est, proinde a Christiano aliquo ipsius operibus insertum est.

Sed quid cum Deistis faciendum? Testimonia inimicorum Jesu expostulant, et quando illa adducuntur sunt nimis clara, immo falsa. Fatemur nonnullos Christianos pariter existimasse, dictum *Fl. Josephi* testimonium esse apocryphum; at istud testimonium Josepho hebraeo facile vindicatur: cum enim 1°. scriberet historiam suae nationis, et sui temporis, bona fides illum cogebat de *Christo*, qui in sua natione tam celeber fuerat, mentionem facere, eo magis quod librum suum *Epaphrodito* viro christiano sub *Flavio Clemente* consule pariter christiano dedicaret.

2°. Locutus fuerat *Fl. Josephus* de *Joanne Baptista* et de *Jacobo minore*, censendus proinde est noluisse silere de eorum capite Christo.

3°. *Jacobum* minorem vocat τον ἀδελφον Ἰεσου λεγουμενου Χριστου = *Fratrem Jesu, qui dictus fuit Christus*, seu *qui vocatur Christus*. Consequenter adserit saltem, *Jesum Nazarenum* creditum fuisse *Messiam*; mirum proinde non est, ipsum alio in loco de Jesu, sub eodem respectu loqui.

(y) *Fl. Josephus Lib. Antiq.* 18. *C.* 4.

4°. Testimonium hoc cum Josephi stilo apprime cohaeret; cum caeteris autem sufficienter connectitur, cum illud per incidens dixerit.

5°. *Eusebius* testatur (z), se hoc Josephi testimonium in antiquo codice hierosolymitano legisse, illudque extat in omnibus codicibus; in aliquibus codicibus hebraïce translatis equidem desideratur, sed aperte patet, illud abrasum fuisse. Verum est ante *Eusebium* neminem hoc Josephi testimonium contra Hebraeos ac Gentiles adhibuisse; at ratio est, quod aut nihil aut parum contra illos probaret; adstruebat enim dumtaxat, vera esse quae de Christi miraculis dicebantur, quod nec Hebraei nec Gentiles inficiabantur. Ab *Eusebio* ideo primum adhibitum fuit, quod primus fuit, qui veritatem Evangelii ex profanis auctoribus demonstravit. Post *Eusebium* a nemine in dubium revocatum fuit usque ad saeculum XVI.

Adversarii equidem ajunt, *Fl. Josephum* cum fateatur, *Jesum Nazarenum* esse *Messiam*, Christi religionem amplecti debuisse. Verum Josephus *Jesum* Messiam dicere potuit eodem sensu, quo imperatorem *Vespasianum* Messiam dixit. Caeterum videtur Josephus solummodo dicere, Jesum Nazarenum *dictum* seu *creditum* fuisse *Messiam*; nam cum *Hieronymus* haec verba Josephi: *Χριστος οὗτος ἦν = Christus hic erat* vertat per: *Hic credebatur esse Christus*, a multis putatur, in codicibus manuscriptis Josephi omissam esse vocem *λεγουμενος = dictus*.

(z) *Euseb. Demonst. Evang. L.* 3, *C.* 5, *et Hist. L.* 1, *C.* 10.

Sed supponamus, *Fl. Josephum* de Christo locutum non esse; adfectatum ejus silentium de viro suae nationis tam celebri probaret, Josephum voluisse alto premere silentio quod fateri nollet, aut refutare nesciret.

§. CCLVIII.
De miraculis ab aliis Evangelistis omissis, et ab aliis recensitis.

527.) Singuli Evangelistae, opponunt Deistae, nova miracula referunt, ita ut videantur ea excogitasse.

Verum est, singulos Evangelistas eamdem historiam Jesu scribere; at singuli *scopum* sibi proposuere *diversum*, in *diversis* scripsere *circumstantiis*, et pro *diversis populis* (Conf. N. 426 428. 433. 434. 437. 438.). Hinc narrant ea facta potissimum, illaque adjuncta referunt, quae eorum *scopo* magis conveniebant, quae *circumstantiae* postulabant, et quae *populis*, pro quibus proxime scribebant, magis necessaria erant; quare mirum non est, quod quaedam apud unum Evangelistam legantur, quae apud alium desiderantur. Christus profecto multo plura fecit ac dixit, quam quae in Evangeliis reperiuntur, ut caeteroquin *Joannes 21, 25.* testatur; consequenter si haec omnia a quolibet Evangelista litteris consignanda fuissent, libri magni conscribendi fuissent, quod Evangelistae noluerunt: voluerunt mundum convertere, et non multitudine factorum ac dictorum Jesu in admirationem rapere. Haec novam lucem ex sequentibus mutuabantur.

Matthaeus scripsit potissimum in gratiam *Judaeorum Palestinae* (N. 426.); et hinc 1°.

summatim dumtaxat refert miracula Christi: cum enim Judaei Palestinae testes *oculati ac auriti* fuissent factorum ac dictorum Jesu, maluit Matthaeus eorum memoriam simpliciter apud Judaeos conservare; quam ipsa enucleatius exponere. 2°. Matthaeus ea praecipue enarrat quae analoga sunt vaticiniis V. F. de *Messia*, ut ita probaret Judaeis, *Jesum Nazarenum* esse *Messiam* a Prophetis praedictum. Et en in quibus Matthaeus differat ab aliis Evangelistis! (Conf. N. 430. 435. 439.).

Marcus scripsit proxime pro *Romanis* (N. 428.); et hinc 1°. omisit plura facta et adjuncta prophetias V. F. respicientia, 2°. nonnulla, quae a *D. Petro* audierat, et in Matthaeo deerant, addidit, aut fusius descripsit, 3°. omnia dirigit ad *scopum* ut ostendat, Christum esse rerum omnium Dominum (N. 429.).

Lucas suum Evangelium proxime *pro Gentilibus* scripsit (N. 434.); et hinc 1°. enucleatius narrat nativitatem ac infantiam Jesu, 2°. addit plures vitae ac doctrinae Jesu circumstantias, quas ab Apostolis et discipulis Jesu didicerat, et quae in *Matthaeo* ac *Marco* deerant, 3°. pro scopo sibi proposuit probare *Jesum Nazarenum* esse *verum mundi Salvatorem* (N. 434.), ad quem scopum omnia dirigit.

Joannes voluit 1°. supplere quae ab aliis Evangelistis omissa fuerant, praesertim circa initium et primum annum praedicationis Jesu; quare quam plurima facta ab aliis Evangelistis enarrata haud exponit, 2°. *divinitatem Jesu* contra *Cerinthi*, *Valentiniani*, ac *Ebionis* asseclas stabilit; universim vero omnia ad hunc scopum dirigit, ut ostendat, *Je-*

sum Nazarenum esse *verum filium Dei*, *Deumque ipsum* (N. 438.).

Et en unde proveniat quod quaedam facta et rerum adjuncta in uno Evangelio reperiantur, et non in alio, et quod unus Evangelista factum aliquod cum his et alter cum aliis circumstantiis referat! immo aliquando unus Evangelista sermonem Christi his, et alter aliis verbis refert, quod contra Deistas evidenter evincit, Evangelistas in fraudem minime conspirasse. Caeterum primum veracitatis scriptorum criterium est, ut in substantia conveniant, in modo autem narrandi, in stilo et in circumstantiis differant.

§. CCLIX.

Num Evangelistae ordinem rerum gestarum servare debuerunt? De paraliticis, caecis et claudis per Christum et Apostolos sanatis.

528.) Evangelistae temporis et ordinis rationem minime servant, ajunt Deistae, id autem innuit, eos probe haud scivisse, quae scripserunt.

2°. quis sibi persuaderet, tot in Judaea fuisse paralyticos, caecos et claudos, quot Christus et Apostoli sanasse leguntur?

Neglectus temporis et ordinis praecise summam Evangelistarum sinceritatem probat; si enim aliis imponere voluissent, sua scripta studiosius composuissent. Caeterum tanta temporis ac ordinis ratio necessaria non erat, cum gesta publica Jesu triennio includantur. Si Evangelistae scripsissent historiam plurium saeculorum, factis dictisque omnis generis

refertam, ipsis opus fuisset tabulis chronologicis, et systematico rerum delectu, non vero in historia trium annorum.

2°. Non legitur, Christum et Appostolos plura paralyticorum, caecorum ac claudorum millia sanasse. AEgroti, caeci etc. quos Christus et Apostoli, lustrando Judaeam ac Samariam curarunt, ad ipsos undequaque adferebantur; quare mirum non est, multos sanatos fuisse. Enumerent Deistae omnes aegrotos, caecos etc., qui in urbibus ac pagis suae regionis reperiuntur, et facile credent quod modo derident.

§. CCLX.

De Daemoniacis.

529.) Quis crederet, excipiunt Deistae, a *Daemonibus* fuisse obsessos, qui in Evangelio *Daemoniaci* nuncupantur?

2°. Quomodo aetate Christi tot obsessi in sola Palaestina fuissent, et non alibi?

3°. Spiritus non potest agere in materiam, cum nullam proportionem cum illa habeat.

4°. In obsesso duo forent spiritus, quomodo hi utpote sibi contrarii, in eodem corpore agere possent?

Deistis aeque Daemonum existentia quam obsessiones displicent; at Daemonum seu malorum geniorum existentia non dumtaxat e Scriptura S. sed etiam ex antiquorum ac recentiorum philosophia cognoscitur. Immo bonos malosque genios existere crediderunt quondam non solum Judaei, sed etiam omnes populi pagani culti ac sylvestres, qui proinde hanc fidem non a philosophis, apud populos sylvestres non existentibus, sed ex traditio-

ne e primitiva revelatione enata acceperunt. Modo adhuc populi omnes barbari ac culti, ut *Tartari*, *Arabes*, *Persae*, *Americani*, *Sinenses* etc. hosce genios existere credunt, licet in multis circa illos graviter hallucinentur, uti antiqui Pagani hallucinati sunt.

Sphaeram activitatis horum spirituum, spiritibus humanis superiorum, sphaera nostra majorem esse nemo prudens negarit; cum autem spiritus noster in corpus nostrum agat, et genios bonos malosque in corpora agere posse liquet; quare obsessiones sunt possibiles; illas vero realiter extitisse ex Evangelistarum obvio textu patet.

2°. AEvo Christi tot in Palaestina obsessi non fuerunt, quot Deistae sibi imaginantur; illos vero non solummodo in Judaea sed et in aliis regionibus extitisse, ex *Actibus Apostolorum* constat. Plures equidem occurrunt in Palaestina, at SS. Patres observant, Deum ea atate Daemoni majorem potestatem concessisse, ut Christi ejusque discipulorum victoriae de ipso relatae novam Jesu religionem magis commendarent, et Judaeos ac Paganos in infensissimum suae salutis hostem attentiores redderent.

3°. Spiritus humanus in corpus humanum agit, cum spiritus malus in illud agere haud posset? proportio similitudinis inter spiritum et materiam profecto non requiritur, sed sufficit ea proportio qua spiritus tamquam causa motrix ac determinatrix in materiam ceu subjectum impressioni capacem agere possit. Quod vero modum hujus actionis ignoremus, a limitato nostro intellectu dependet.

4°. Obsessus non est semper a Daemone agi-

tatus. Dein spiritus iste, humano spiritu fortior, potest dispositionem physicam corporis perturbare, commovere ac exagitare, atque hoc sensu esse auctor operationum Daemoniaci.

Activitatem spirituum, sphaeramque eorum activitatis philosophice equidem determinare nequimus, at ex revelatione constat, illas activitate sphaeraque activitatis hominum esse multo majores; quare Deistae frustra ipsorum ignorantiam objiciunt.

§. CCLXI.

Num Daemoniaci fuerunt aegroti?

530.) Recentiores nonnulli Interpretes (*a*) Daemoniacos, de quibus in N. F. fit mentio, pro aegrotis naturalibus, *epilepticis* nempe, *furiosis*, ac *melancholicis*, habent. Rationes eorum sunt

I°. AEvo Christi Judaei aeque ac Pagani magnos morbos malis geniis seu Daemonibus adscribebant (*b*), hincque gravibus morbis adflictos a malis geniis vexatos vel obsessos credebant: illosque *Daemoniacos* nuncupabant.

II°. Vox *Δαιμων* = *Daemon*, quae a *δαιω* = *cognosco* derivatur, non solum significat *Diabolum*, sed etiam animas defunctorum deificatorum, quibus Gentiles statuas idolorum animari credebant; hinc *Paulus* dicit Paganos

---

(*a*) Apud *cl. Jahn: Archaeol. Bibl. C.* 12. §. 194. *etc. Viennae* 1805. *Cl. Schnappinger: H. Schrift des n. B. Matth.* 8, 28. *Manheim und. Linz* 1808. *Conf. et cl. Brentanno H. Schrift des N. T. Matth.* 8, 28. *Frankfurt* 1798.

(*b*) *Fl. Jos. Antiq. Judaic. Lib.* 6. *C.* 8. *Lib.* 8. *C.* 2. 5.

sacrificare *Daemonibus*, seu animabus illis hominum deificatorum, quas in statuis idolorum habitare existimabant *I. Cor.* 10, 20. *I. Tim* 4, 1. Conf. *Act.* 17, 18. Quare etiam Daemoniaci dicti fuerunt qui ab animabus hominum, praesertim malorum et violenta morte defunctorum, tamquam a furiis agitari putabantur.

III°. *Hypocrates* aliique medici antiqui *Daemoniacos* habuerunt pro aegrotis naturalibus, ipsisque remedia sanitatem restituentia praescripserunt.

IV°. Evangelistae de *Daemoniacis* locuti sunt juxta ideas populi.

V°. Christus et Apostoli eradicare maluerunt perniciosos errores morales, quam populare ac inveteratum praejudicium de Daemoniacis, cujus eradicatio maximas difficultates passa fuisset, Christumque ac Apostolos a rebus majoris momenti impediisset; quare Christus ac Apostoli se populari praejudicio accommodarunt.

VI°. Miracula, quae Christus et Apostoli sanando aegrotos Daemoniacos dictos patrarunt, nihil in hac hypothesi de sua magnitudine ac probatione pro Christi ejusque religionis divinitate deperdunt.

VII°. Existunt adhuc aegroti, qui se a Daemonibus obsessos putant, uti qui se lupos, canes, feles etc. esse existimant.

VIII°. Cur Deus aevo Christi obsessiones permisisset, cum Christus sanando aegrotos, qui a Daemonibus vexari putabantur, aeque suam potestatem divinam miraculorum manifestaret, ac si Daemones vere ejecisset?

IX°. Duos Daemoniacos regionis *Geraseno-*

rum (*Matth.* 8, 28.) nonnisi *insanos* ac furibundos fuisse, probat eorum petitio *porcos* ingrediendi; hoc enim non Daemones, sed soli insani ac furibundi petere potuerunt.

X°. Juxta Christi doctrinam Deus curam rerum omnium, et curam peculiarem hominum gerit; hoc autem falsum foret, si Daemon homines obsidere, iisque tot ac tanta mala inferre posset.

XI°. *Ex II. Petri* 2, 4. constat, Daemones in Tartara detrusos esse, ibique in judicium reservari; proinde hominibns nocere haud possunt.

§. CCLXII.

Daemoniaci fuerunt obsessi a Daemonibus.

531.) Ast praefata sententia litterali ac obvio Evangelistarum textui est contraria, atque sequelas haud admittendas continet.

a) Nam Christus non solummodo populari praejudicio se accommodasset, sed dictum errorem *positive* confirmasset; non enim dumtaxat de *Daemoniacis* ut de obsessis a Diabolo loquitur, sed et spiritus, qui obsessos vexabant, alloquitur, eos silere, ex obsessis egredi, et numquam amplius reverti jubet. Cum vero Apostoli eodem modo de Daemoniacis loquantur ac eorum magister, Christus eis aut praefatum errorem, aut illius dissimulationem communicasset, quod Christo, qui vitia ac praejudicia majora populi, immo et Pharisaeorum, aperte refellit, quique est ipsa veritas, est summe injuriosum.

b) *Marcus C.* 5. historiam Daemoniacorum *Matthaei* 8, 28. referens, ait, Daemones, qui

in primario Daemoniaco erant a Christo petiisse, ut mitterentur in porcos: *Et deprecabantur eum*, inquit, *spiritus*, *dicentes*: *Mitte nos in porcos . . . et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos*, *et magno impetu grex praecipitatus est in mare ad duo millia*, *et suffocati sunt*. Jam vero verba Christi ad spiritus *Daemoniaci*, spirituumque petitio, sane indicant sensu litterali ac obvio in isto Daemoniaco fuisse Daemones seu genios malos. Quomodo caeteroquin duo homines furiosi gregem duorum fere millium porcorum in illos ruendo in lacum Genezareth praecipitem agere potuissent, ut patroni prioris sententiae supponunt?

c) Evangelistae Daemoniacos ab aegrotis *positive* distinguunt, ut Matthaeus 10, 1: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum*, *ut ejicerent eos*, *et curarent omnem languorem*, *et omnem infirmitatem*, Marcus 1, 34: *Curavit multos*, *qui vexabantur variis languoribus*, *et daemonia multa ejiciebat*, *et non sinebat ea loqui*, *quoniam sciebant eum*. Lucas 6, 18: *Venerant ut audirent eum*, *et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur*; oportet ergo Daemoniacos ab aegrotis naturalibus fuisse positive distinctos.

d) Occurrunt in N. F. Daemoniaci, qui fecerunt quae vires humanas transcendunt; sic *Actuum Apost*: *16*. legitur, puellam aliquam Philippensem divinatam fuisse, et a *Paulo* ab isto spiritu *Pythone* liberatam fuisse. Quomodo ista puella virtute divinandi privata fuisset si solummodo a morbo liberata fuisset?

Morbus profecto virtutem divinandi haud suppeditat.

Daemoniacus *Marc.* *5*, *3-4.* compedes ac catenas, quibus vinciebatur rumpebat, ita ut nullatenus domari posset, quod probat illum, vires humanis superiores habuisse.

§. CCLXIII.

Crisis sententiae Daemoniacos aegrotos esse statuentis.

532.) Ad rationes N. 530. pro sententia isthac adlatas respondemus

I°. et II°. Si etiam Judaei ac Pagani graviores morbos Daemonibus attribuerint, existimaverintque animas defunctorum homines nonnullos vexare, exinde haud sequeretur, nullos fuisse a *Daemone* obsessos. Verba Evangelistarum, Christi ac Apostolorum loquendi ac agendi ratio cum Daemoniacis veros obsessos indicant.

III°. Si aliqui, Daemoniaci dicti, a medicis sanati fuerunt, sequitur tantummodo, non omnes, quos vulgus ut Daemoniacos habuit, tales fuisse, non vero, omnes Daemoniacos solummodo fuisse aegrotos. Immo *Matth.* *9*, *32. et Luc.* *11*, *4.* occurrit Daemoniacus, qui mutus dumtaxat erat et *Matth.* *12*, *22.* invenitur Daemoniacus qui *caecus ac mutus* tantummodo erat, caeteroquin uterque sanus existebat. Hi Daemoniaci, qui symptomata morbi, epilepsiae, furoris etc. habuisse non leguntur, probant, Daemoniacos omnes non fuisse aegrotos, epilepticos, melancholicos ac furiosos.

IV°. et V°. Christus et Apostoli non dum-

taxat se populari praejudicio accommodassent, sed fingendo se in Daemoniacis alloqui Daemones, quos ibi haud esse scivissent, etiam hunc perniciosum errorem confirmassent, atque ita Judaeos decepissent. Christus *Joannis 15, 24.* ad ejectiones Daemonum provocat tamquam ad opera, quae nemo Prophetarum ante illum fecerat; cum vero aegroti sat multi a Prophetis sanati fuissent, patet Daemoniacos non fuisse simpliciter aegrotos.

VI°. Si etiam Christus sanando graviores morbos tantum miraculum edidisset quantum patrasset ejiciendo Daemones, sincerus tamen non fuisset; finxisset enim se pellere malos spiritus, dum nonnisi morbos abegisset. Ex

VII°. Sequitur solummodo non omnibus, qui se Daemoniacos dicunt, aut ab aliis ut tales exhibentur, fidem esse adhibendam. *S. Paulinus Nolanus* scribit (c), *se vidisse Daemoniacum* qui capite deorsum vero pedibus contra fornicem alicujus ecclesiae obambulabat, quin ejus vestes commoverentur, illumque ad sepulchrum *S. Felicis* sanatum fuisse. *Sulpitius Severus* refert (d), *se vidisse obsessum* in aëre suspensum. Hi vero testes oculati probant, post ipsa Apostolorum tempora fuisse aliquos vere a Daemone obsessos.

VIII°. Ratio, ob quam Deus obsessiones aetate Christi permisit, adlegata est N. 529. 2°.

IX°. Daemones, qui obsidebant Daemoniacos regionis Gerasenorum, verebantur, ne in Tartara relegarentur, et suam malitiam in homines non amplius exercere possent: *Et de-*

(c) *In vita S. Felicis Nolani.*
(d) *Dialog. Lib. 3. C. 6.*

precabatur eum (Jesum) *multum*, ait *Marcus 5, 10.* spiritum Daemoniaci primarii dixisse, *ne se expelleret extra regionem*; hinc mirum non est, spiritus istos, hominibus nocendi avidos, petiisse, ut porcos ingredi possent, quos dein cum magno hominum damno in mare praecipites agerent.

X°. et XI°. Ex eo quod Deus curam de omnibus et specialiter de hominibus gerat, Daemonque juxta *II. Pet. 2, 4.* in Tartara relegatus sit, sequitur solummodo, Daemonem hominibus nocere haud posse sine speciali Dei permissione.

§. CCLXIV.

De Adparatione angeli Gabrielis ad Zachariam Luc. 1, 5-25.

533.) *H. E. Gottlob Paulus*, qui miracula Jesu naturaliter exponit (*e*), *Visionem Zachariae* historico-pragmatice ita exponit:

Zacharias diu desideraverat infantem Deo Messiaeque consecrandum. Suo tempore ad templi officia vocatus, incensoque Deo oblato *Enstasi*, (*f*) se tradit, desideriumque nanciscendi infantem ei recurrit. In hac *Enstasi* videt inter spissum ardentis incensi fumum ad dexteram altaris aliquid, quod ipsi coelestis species evadit. Tum series internarum commotionum et adparitionum incipit. Zachariae anima primum timore dein gaudio adficitur, in seque audit ab illa interna imagine quae

(*e*) *Philologisch-Kritischer und historischer Kommentar über das neue Testament Lübeck* 1800.

(*f*) *Enstasis ab* ἐν = *in* et ἵστημι *sto.*

toties sibi ipsi dixerat ac optarat. Quae hic futuram Joannis-Baptistae vitam spectant per se postea impleta fuerunt, quia erant regulae ejus educationis. Cum Zacharias certitudinem habere cuperet spei consequendi infantem in ipso ortae, petit quo signo illius certior fieret? Verum hoc dubio credit se in Deum peccasse, poenam meruisse, sibique dici: Quia modo nimium locutus es non amplius loqueris usque dum omnia impleta sint. Cum autem existimaret, vocem, cui omnimodam obedientiam se debere autumabat, ipsum ad silentium condemnasse, ne quidem loqui tentavit etc.

Ex hac expositione patet, D. *Paulus* totam visionem Zachariae ut effectum ejus percussae imaginationis habere, quod quam a vero alienum sit ex eo solo patet, quod ne vestigium quidem hujusmodi ineptae historiae imaginariae in sensu obvio Lucae deprehendatur. Verum operae pretium est, ut audiamus ac refutemus rationes, ob quas D. *Paulus* hanc explicationem amplexus est, eo magis quod ob illas in suo *Commentario philologico-critico et historico* multa alia facta Evangelica in sensum a sensu communi alienum detorquet.

534.) I°. Adparitiones angelorum, ait *D. Gottlob Paulus*, magis magisque ut impossibiles aut saltem ut incredibiles habentur, eoquod *a*) explicari nequit quomodo entia incorporalia in aliena organa agere possint, *b*) quia adparitiones discerni non possunt ab operationibus potentiae imaginativae, *c*) quia nullum finem sufficientem habent, cum plerumque ad curiositatem explendam tendant,

d) quia hominem, qui se per ea quae inspicere et examinare potest dirigere debet, alienae auctoritati tot deceptionibus obnoxiae assuefacerent, *e*) si etiam impossibilitas hujusmodi adparitionum demonstrari nequit, ipsarum possibilitas, et a fortiori realitas adhuc minus demonstrari potest; quare explicatio litteralis adparitionum angelorum est vana hypothesis.

II°. Angeli non habent nomina hebraïca, ut angelus *Luc.* 1, 19. habet. 2°. Si angelus reapse adparuisset, prudentem Zachariae interrogationem, qua se contra omnem illusionem munire conabatur, potius laudasset quam puniisset. 3°. Si Zacharias realiter mutus fuisset factus, officium sacerdotale, quo solummodo viri sine defectibus corporalibus fungi poterant juxta *Lev.* *21*, *17*., illico deseruisset, cum tamen ex *Luc.* *1*, *23*. constet, illum solummodo Hierosolymam deseruisse *impletis diebus off. cii.*

III°. Historia religiosa antiquorum populorum docet, omnes veteres historias magnorum virorum, ex traditionibus oralibus primitus profectas, pias fictiones continuisse, ut ex historiis de *Cyro*, *Tullio Hostilio*, *Julio Caesare* etc. constat.

IV°. Orientales proprias cogitationes, queis objecta externa occasionem praebuerant, per dialogos illos inter et objecta externa exprimere solent. Duas tamen ultimas rationes *D. Paulus* ad explicandam visionem Zachariae non adhibet.

V°. Visio Zachariae per intuitionem animae *psychologice* explicari potest. Eaedem enim sunt operationes animae tempore *somnii* ac

tempore *ecstaseos* seu potius *enstaseos*; nam tempore somnii anima modo secum ipsa loquitur, modo alios secum lequentes credit. Haec autem etiam fieri possunt extra somnium tempore enstassos. Si somnia rariora essent, et cum expergefactione sine sensibili discordantia cohaererent, illa vix a connectione aliarum rerum post ipsa contingentium discerneremus, immo potius connecteremus. In narratione autem visionis Zachariae nihil occurrit, quod ipsi differentiam internas cogitationes mentis inter ac operationes exteriores indicare potuisset.

Revocando haec argumenta ad examen critices reperiemus ineptias a fervida auctoris imaginatione profectas, et velo philosophico obductas. Quare sit

§. CCLXV.

Refutatio expositionis D. H. E. G. Paulus de visione Zachariae.

535.) I°. Mirum haud est, hoc nostro aevo a pseudophilosophis adparitiones angelorum magis magisque haberi ut impossibiles aut saltem ut incredibiles; ad ea enim devenimus tempora, ut recte cum Doctore Gentium de pseudophilosophis dicere possimus: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere* (*I. Cor. 2, 14.*).

a) Ergo et impossibile, aut saltem incredibile erit, Deum, qui est ens incorporale, se hominibus manifestare posse! Et quo tum abibunt omnipotentia divina, totaque revelata religio? Nec intelligimus modum, quo spiri-

tus noster agat in organa nostri corporis, num ideo ejus actiones in corpus nostrum impossibiles aut incredibiles dicimus? Angelos jubente Deo corpora adsumere, atque ita in aliena organa agere posse, nullam involvit contradictionem; quare actiones spirituum in aliena organa sunt *possibiles*; eos autem realiter in aliena organa modo quocumque egisse, revelatio nos expressis obviisque verbis multoties docet, atque tota Judaea ac christiana antiquitas tenuit; quare et sunt *credibiles*, ac a viro christiano credi debent.

b) Quando angeli alicui adparent dant signa, quibus homo ab illusione imaginationis praeservatur: sic Petrus agnovit, angelum sibi adparuisse per confractionem vinculorum, et miraculosam e carcere liberationem conjunctam verbis illius, qui ei adparuerat; aut angeli per modum adparendi etc. manifestant se esse nuntios coelestes, ut ex ipsa adparitione ad Zachariam, qui ad illam turbatus contremuit *Luc.* 1, 12. liquet. Ii vero, qui ipsi hasce adparitiones non habuerunt, eas ab illusionibus alienae imaginationis distinguunt, quando eis auctoritate divina, aut sufficienti auctoritate humana, ut verae adparitiones transmissae sunt.

c) An *sufficiens ratio* adparitionis alicujus angeli non est, quod Deus ex infinita sua bonitate manifestare velit curam, quam de genere humano universim aut de quibusdam hominibus in peculiari gerit? An finis sufficiens non est, quod Deus homines per angelos docere, consolari etc. velit? Num sufficiens ratio adparitionis angeli ad Zachariam et ad Mariam non erat laetum nuntium de

proxima liberatione generis humani? Si vero Deus finem sufficientem nobis innotescere nollet, et constaret tamen, eum reapse nuntium aliquem coelestem misisse, num aliquis ideo negare auderet, angelum vere adparuisse? Num aliquis Deo dicere praesumeret, *cur hoc fecisti*? *Quis consiliarius ejus fuit*? (Rom. 11, 34.). Ad curiositatem hominis explendam ens infinite sapiens perfectissimumque non agit; quare si constat, angelum aliquem reapse adparuisse, adesse debet finis Deo dignus.

d) Principium *philosophiae Kantianae* est, illud haud esse objective verum, quod sub sensus non cadit. Examine hujus principii relicto, quoad praesentem quaestionem dicere sufficit, illos, quibus spiritus adparent, sentire eorum actionem in sua organa, quare illam utpote sensibus subjectam examinare possunt. Illi vero qui testes harum adparitionum non sunt, iis credere non tenentur, nisi ipsis de eis certo constet; ita autem illis constat, quando in Libris Divinis, qui rigoroso etiam examine philosophico probati sunt veridici, clare continentur; quare qui credit adparitionibus in Scriptura S. clare contentis, minime credit auctoritati alienae deceptionibus subjectae. Ex dictis patet responsio ad objectionem *e*).

II°. Angeli in coelo utique non habent nomina hebraïca; sed si se Hebraeis manifestant, num forte nomina arabica aut graeca adsumere debent? Angelorum nomina enuntiant eorum officium, non vero naturam, ut ex illorum significatione liquet.

2°. Interrogatio Zachariae non viri prudentis, sed non satis credentis fuit; agnoverat

enim nuntium coelestem, ut ex ejus perturbatione ac tremore *Luc. 1, 12.* patet, et hoc non obstante angelo fidem non adhibuit, quod liquet exinde quod ab angelo signum petierit *ib. v. 18.*, et hinc angelus ipsi dixit: *Non poteris loqui pro eo quod non credidisti v. 20.*

3°. Probandum esset, legi *Levitici 21, 17.* ob insignem Zachariae sanctitatem hoc in casu non fuisse derogatum; ex eo enim quod lex aliquid praecipit concludi non potest, id executioni datum fuisse. Caeterum verba Lucae 1, 23: *Ut impleti sunt dies officii abiit in domum suam* non probant, Zachariam illuc usque sacerdotali officio functum esse, sed solummodo eum tota sua hebdomade in templo mansisse. Immo exinde quod Zacharias intra novem menses graviditatis suae conjugis non legatur ad templum reversus esse, cum tamen interea recurrente ejus hebdomade illuc reverti debuisset, potius confirmatur, illum reapse mutum fuisse.

III°. Magna reverentia Libris Divinis exhibetur, dum cum fabulosis antiquorum scriptis comparantur! Evangelistae sufficientia signa veracitatis dederunt (conf. N. 514-521.) ne quis vereatur, illos falsa veris admiscuisse.

Auctor idserit caput *I. Lucae* a *v.* 5°. usque ad finem et *Caput II.* usque ad *v.* 30. piis fictionibus referta esse, et primitus in cognatione *Joannis Baptistae et J. C.* composita fuisse, atque ita a *Luca* Evangelio inserta esse; *Lucas* vero *C. 1, 2.* testatur, se omnia *a testibus oculatis et auritis* accepisse, se omnia adcurate examinasse, ac proinde historiam criticam scripsisse, ut Theophilus plenam certitudinem haberet religionis christianae, quam

edoctus fuerat. Quis ergo fidem meretur *D. G. Paulus*, an *S. Lucas*?

IV°. Si Orientales suas cogitationes per dialogos illos inter et objecta externa reapse exprimerent, quod falsissimum esse historia sacra ac profana testatur, sensum communem non haberent, utpote qui loquerentur ita, ut ab aliis intelligi nec possent nec vellent. Ad colloquium *Hevae* cum *serpente* (*Gen. C.* 3.) frustra provocatur, cum illud juxta textum obvium Moysis *Hevam* inter et *serpentem* realiter contigerit, et in sola Hevae mente non constiterit.

V. *D. G. Paulus* in argumento psychologico homines supponit non tales quales eos natura formavit, sed quales ejus exagitata imaginatio illos sibi repraesentat. Profecto si homines in se collecti, seu in enstasi, credent, se videre et audire, quae nec vident nec audiunt, nec hunc errorem postea animadvertent, collectio animi, seu enstasis, cum somnio comparari poterit, sed tum homines vigiles somniabunt; quare *D. G. Paulus* multo expeditius fecisset, si breviter dixisset, Zachariam totam visionem somniasse. Et en quo recidat tota auctoris explicatio de visione Zachariae! *Ex uno .. disce omnes.*

§. CCLXVI.

De genealogiis J. C. Matth. 1, 1-17. Luc. 3, 23-38.

536.) *Bolingbrock* aliique Deistae, *Julianum imperatorem* secuti, ajunt, genealogias Jesu Christi *Matth.* 1, 1-17. et *Luc.* 3, 23-38. sibi contradicere, Matthaeum a *v.* 6. non am-

plius convenire cum Luca nisi in *Salathiele*, et *Zorobabele*, juxta Matthaeum patrem Josephi esse *Jacobum*, et juxta Lucam *Heli*.

Verum uterque Evangelista aliam scripsit genealogiam, Matthaeus nempe texuit *genealogiam naturalem Josephi*, et Lucas *genealogiam Mariae*, uterque autem Evangelista probat, *Jesum Nazarenum* descendere a *Davide*. Matthaeus proxime scribens pro Hebraeis non genealogiam *Mariae* sed *Josepsi* confecit, eoquod apud Haebraeos moris non erat mulieres constituere capita genealogiarum. Cum autem Josephus ex eadem familia esset ac Maria, Matthaeus per genealogiam Josephi scopum suum obtinebat.

Ad adparentem vero antilogiam inter genealogias Matthaei et Lucae tollendam, Exegetae plures excogitarunt hypotheses, quarum praecipuas hic breviter referemus.

537.) I°. *Julius Africanus*, scriptor II. saeculi, quem multi Patres secuti sunt, in Epistola ad *Aristidem* (g) primam hypothesim stabilit; adserit, *Matthaeum naturalem*, Lucam vero, *legalem Josephi genealogiam* scripsisse, additque, se rem, ut sequitur, a cognatis Jesu accepisse. *Mathan* (Matth. 1, 15.) *Estah* in uxorem duxisset, ex qua progenuisset *Jacob* (Matth. ib,). Mortuo Mathan *Estah* nupsisset *Mathat* (Luc. 3, 23.), ex quo habuisset *Heli* (Loc. cit.); quare *Jacob* et *Heli* ex parte matris fratres erant. Heli uxorem duxisset, sed cum sine liberis defunctus esset, *Jacob* ejus frater illius viduam juxta *Deut. 25, 5.* in conjugem accepisset. Ex hac

(g) *Euseb. L. 1. C. 6.*

του Heli vidua Jacob genuisset *Josephum virum Mariae;* proinde Josephi *pater naturalis* fuisset *Jacob*, de quo loquitur Matthaeus, et *legalis*, seu quem lex mosaïca agnoscebat, *Heli*, de quo loquitur Lucas.

Ast huic hypothesi obstat 1°., quod incredibile est, *Lucam* voluisse *Gentilibus*, pro quibus proxime scribebat, obtrudere *genealogiam legalem*, quam intelligere non poterant: 2°. Lucas 3, 31, 32, 36, 37 etc. patres naturales recenset, num *ib. v. 23.* de patre legali locutus fuisset, quin id indicasset? 3. nulla adest ratio cur Lucas pro Gentilibus novam genealogiam legalem, ab illa Matthaei prorsus diversam, scripsisset.

538.) II. Hypothesis est, Matthaeum Christi *genus legale*, Lucam vero *sacerdotale* scripsisse, *Nathanque* Lucae 3, 31. fuisse sacerdotem et *Davidis filium adoptivum*, atque hinc etiam *Elisabetham cognatam Mariae* esse.

Verum juxta hanc hypothesim Christus ex parte matris fuisset de *tribu Levi* secundum Lucam, quod *Paulus* Hebr. 7, 13. directe negat, et traditioni adversatur. Elisabeth cognata Mariae fuit, quia ejus mater erat de *tribu Juda*, ex qua erat Maria.

539.) III. Hypothesis duabus praecedentibus longe verisimilor, cujusque auctor saeculo VIII. fuit *Joannes Damascenus*, est, Lucam scripsisse *genealogiam Mariae*, quemadmodum Matthaeus scripserat *genealogiam Josephi.* Exegetae tamen alii ita hanc sententiam tuentur, ut dicant, Lucam 3, 23. velle dicere, *Josephum ut generum* descendere ab *Heli; generum* pariter intelligunt *v. 27.*, ubi

Salathiel, qui juxta Matth. 1, 12. verus *Jechoniae* filius fuit, filiam unicam *του Neri* in uxorem duxisset, proinde *Neri* gener, et latiori sensu *filius* fuisset. Existimant, ramum *Salomonis*, ex quo erat *Salathiel*, ramumque *Nathan*, ex quo erat *Neri* filia, per praefatum conjúgium in unum coaluisse, et ex hoc connubio natum esse *Zorobabelem*.

Ast hic difficulter explicatur 1. cur Lucas in sua genealogia filios et generos confunderet, quin id adnotaret, aut ex circumstantiis elucesceret? 2. quomodo rami Salomonis et Nathan, qui in Salathiele et Zorobabele conjuncti fuissent, denuo in duos ramos divisi sint?

Alii vero Exegetae, recentiores praesertim, majori cum verisimilitudine propugnant, Lucam directe genealogiam Mariae scribere, illum 3, 23. velle dicere, *Jesum esse filium*, id est nepotem, *του Heli*; per *Salathielem* et *Zorobabelem* Lucae viros omnino diversos ab illis ejusdem nominis apud Matthaeum intelligunt. Hinc *Maria* juxta Lucam descendit a Davide per illius filium *Nathan* ejusque posteros, *Joseph* autem juxta Matthaeum descendit a Davide per *Salomonem* illiusque descendentes. Rationes, quibus haec ultima III. hypothesis sententia innititur sunt

I. Lucas 3, 23. juxta textum originarium graecum ait: Ἰησους ωσει ἐτων τριακοντα αρχομενος, ων (ως ἐνομιζετο ὑιος Ἰωσηφ) του Ἡλι, του Μαθατ etc. = *Jesus, quasi triginta annorum incipiens, erat (qui putabatur filius Joseph) Heli, Mathat* etc., acsi diceret: *Jesus, qui putabatur filius Joseph, erat filius Heli, qui Heli fuit filius Mathat*, etc.

Lucas hic *a*) ait, Jesum solummodo putatum fuisse filium Josephi; C. 1, 35. dixerat, Jesum conceptum esse de Spiritu S. *b*) Dicit illum fuisse *filium Heli*, id est nepotem, scriptores enim sacri et profani nomen filii nepotibus frequenter tribuunt. *c*) Constat, nomina *Joakim*, *Joachim*, *Heliakim* ac per contractionem *Heli*, in Scripturis S. synonyma esse; quare cum etiam constet ex Evangelio apocrypho *Jacobi et nativitatis Mariae*, ex *Thalmudistis*, et ex traditione Ecclesiae Latinae ac Graecae, *Joachim* seu *Heli* patrem fuisse Mariae Virginis, patet, Jesum secundum Lucam fuisse filium seu nepotem *του Heli*, et Lucam scribere directe genealogiam Mariae quin Josephum ut generum Heli statuat.

II. Lucas in sua genealogia ostendere intendit, Jesum a Davide descendere, C. 3, 23. expresse ait, Josephum illius patrem non esse, quomodo ergo eodem versu conformiter scopo suo loqui potuisset de majoribus Josephi? loquitur igitur de Jesu quando ait: *Jesus .... qui fuit Heli.*

III. Paucis: Lucas testatur C. 3, 23. Josephum Christi patrem non esse, vult tamen ostendere Jesum a Davide descendere; consequenter non debuit de Josepho ut genero Heli loqui, proinde non fecit; cum secus contra suum scopum egisset, quod adstrui non potest.

IV. Si admittitur, Lucam directe ostendere quomodo Jesus per Mariae majores a Davide descendat, etiam facilius intelligitur cur Lucas genealogiam suam ab *Adamo* immo ab ipso *Deo* repetat, quod vix concipitur, si sup-

ponitur, illum derivare Mariae genealogiam a Davide incipiendo a Josepho, quem Christi patrem naturalem esse expressis verbis negat.

§. CCLXVII.

De tribus Tessaradecadibus Matth. C. 1.

540.) Matthaeus, ajunt Deistae, adfectate et per fas et nefas componit tres tessaradecades ab *Abrahamo* usque ad *Christum;* in II. tessaradecade omittit tres generationes, et *Jechoniam* bis numerat.

Nihil adfectati atque per fas nefasque comcompositum in genealogia Matthaei esse, ex sola ejus lectione patet. Composuit Matthaeus tres tessaradecades ad triplicem Judaeorum statum designandum, quo facilius memoria teneretur; I. status, qui continet generationes *Patriarcharum ac Judicum*, incipit ab *Abrahamo*, et desinit ad *Davidem;* II. qui generationes *Regum* complectitur, a *Salomone* exordium ducit, et desinit ad regem *Joakim*; III. vero, qui generationes *Ducum* et *Sacerdotum* comprehendit, incipit a *Jechonia* et desinit ad *Christum.*

Matthaeus utique omisit inter *Joram* et *Oziam* tres reges; nam juxta *I. Paral. 3, 11-12. Joram* genuit *Ochoziam*, hic *Joam*, *Joas Amasiam*, et *Amasias Oziam*; sed etiam in tabulis genealogicis profanis, praesertim apud Orientales, quandoque personae aliquae omittuntur, et recensentur dumtaxat illae, quae ad scopum necessariae sunt; scopus autem Matthaei erat ostendere, *Jesum* per varias generationes a *Davide* descende-

re, et Davidem ab *Abrahamo*. Ratio cur praefati tres reges a Matthaeo amissi sunt, est verisimillime eorum omissio in tabulis publicis regum Judae, publicumque odium, quod in se ita consciverunt, ut a Judaeis occisi fuerint; erant de progenie detestanda *Achabi et Jezabelis*, quorum filiam *Joram* in uxorem duxerat. Deus Achabi posteritati bis maledixisse legitur *III. Reg. 21*, 21. *et IV. Reg.* 9, 8. Quare isti tres reges *Achabi* nepotes ex *Athalia* ejusdem filia et *Amri* nepte usque ad quartam generationem maledicti censebantur *Exod. 20.*

Falsum est, Matthaeum numerare bis eumdem virum, ut scopum suum obtineat; nam loco *Jechoniae* legendum est *Joakim*; constat enim ex *I. Paral. 3, 15-16. Jechoniam* non fratres, sed unum dumtaxat fratrem habuisse, *Sedeciam* nempe. *Joakim* vero *ibidem* plures fratres habuisse legitur: *Johanan* scilicet, *Sedeciam* et *Sellum*. Hinc variis in codicibus graecis et latinis *Joakim* loco *Jechoniae* legitur; quare *Matth. 1, 11-12.* legendum est: *Josias autem genuit Joakim et fratres ejus. Joakim autem genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis, et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel.*

Caeterum primus *Jechonias* potuisset esse pater et alter ejus filius.

§. CCLXXIII.

De vaticiniis V. F. a Matthaeo adlegatis.

541.) Matthaeus, prosequuntur Daistae, varios V. F. textus per fas ac nefas Christo adplicat, ut *a*) C. 2, 15. illud *Oseae 11, 1. Ex*

AEgypto vocavi filium meum, ubi Oseas de filiis Israël loquitur.

b) C. 2, 23. ait, Christum habitasse in Nazareth : *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas*: *Quoniam Nazaraeus vocabitur*. Nulla hujusmodi prophetia ullibi extat.

c) C. 21, 4-5. dicit: *Hoc autem totum factum est*, *ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem*: *Dicite filiae Sion*: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis*. Haec in nullo Propheta leguntur.

d) C. 27, 9: *Tunc impletum est*, inquit, *quod dictum est per Prophetam Jeremiam dicentem*: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appreciati, quem appretiaverunt a filiis Israël*. Jeremias autem haec nullibi habet.

Verum *a*) in *sensu litterali* Oseae sermo est de populo Israël (*Exod. 4*, *22. Jerem. 31*, 9.), qui sub Moyse ex AEgypto egressus *figura* seu typus fuit *Messiae*, et in *sensu figurativo* de Messia; hinc Matthaeus vult dicere, Oseae effatum adimpletum esse perfecte seu quoad *figuratum*, quando Christus ex AEgypto reversus est.

b) Nec Matthaeus ait, hanc prophetiam alicubi reperiri, sed solummodo Messiam a Prophetis *Nazaraeum* dictum fuisse, ab hebraeo nempe *Nazir*, quod *separatus*, *consecratus* sonat; nemo ignorat, Prophetas frequenter de Messia locutos esse tamquam de viro a caeteris *separato*, ac *Deo consecrato*.

c) Verba haec utique in uno solo Propheta non reperiuntur; sed Matthaeus ex duobus textibus unum confecit: verba: *dicite fi-*

liae Sion reperiuntur apud *Isaïam 62, 11.*, et reliqua apud *Zachariam 9, 9.*

d) Verba haec utique non apud *Jeremiam*, sed apud *Zachariam 11, 13.* leguntur; sed cum Matthaeus nomina Prophetarum citare non soleat, et nomen *Jeremiae* tempore Hieronymi in antiquioribus codicibus, ac in versione Syriaca, non reperiretur, hoc nomen ab amanuensi quodam imperite aut inadvertenter additum est, atque ita in caetera exemplaria irrepsit.

§. CCLXIX.

De vaticinio Isaïae 7, 14., per Matthaeum 1, 22-23., citato.

542.) Matthaeus Christi miraculosa conceptione de Spiritu S. relata, C. 1, 22-23. ait: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel.*

Dumarsius aliique Deistae tamquam ex Tripode Delphico decidunt hoc vaticinium *Isaïae 7, 14.* nihil commune cum Christo habere, et hinc male a Matthaeo adlegari. Cum plures Acatholici, et nonnulli Catholici in hoc Isaïae vaticinio de Messia *litteraliter* non agi contenderint, imprimis *occasionem* istius vaticinii, dein variorum explicationes de illo, ac tandem verum ejus sensum exponemus.

Vaticinium hoc 700. circiter annis ante Christum a Propheta Isaïa datum fuit *Achaz* regi Judae. *Occasio* ejus isthaec fuit: *Rasin* rex Syriae, et *Phacee* rex Israël, gravi bello pre-

mebant *Achaz* regem Judae, totamque regiam familiam exterminaturi videbantur. Achaz in hisce rerum angustiis *Theglathphalasaris* Assyriorum regis auxilium imploravit; *Isaïas* autem jussu Dei hoc ei dissuasit, pollicitus ambos reges mox interituros, et in rei promissae fidem oblata facultate signi cujuscumque petendi (Isaïae 7, 11.). Achaz vero sub praetextu quod Deum tentare nollet signum petere renuit (*ib. v. 12.*); quare Isaïas exprobrata illi sua in Deum diffidentia verba ad regiam Davidis familiam convertens: *Dabit*, inquit, *Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Cum regia Davidis familia, e qua Achaz descendebat, jam jam interitura videretur, quo longius eventus hujus vaticinii aberat, eo certior illa erat, se non interituram esse, eoquod *Emmanuel* seu Messias ex ipsa nasciturus erat.

§. CCLXX.

Sententiae de textu Isaïae 7, 14. Interpretatio D. Isenbiehl.

543.) Veteres Judaei ac Rabbini, *R. Simeon Ben Johai*, *R. Juda Hakkadosch*, *R. Hadarsan*, *R. Barachias etc. S. Matthaeus*, omnes *Ecclesiae Patres*, atque Interpretes usque ad saeculum XV. hoc vaticinium litteraliter, seu in sensu historico, de *Messia* et virgine ejus matre intellexerunt. Saeculo III°. et IV°. *Thalmudistas ac Rabbinos* hanc Isaïae prophetiam de Messia adhuc intellexisse

ex *Tertulliano* (*h*) et *Eusebio* (*i*) constat. Postea autem Judaei, majorum mutata sententia, per dictum *Emmanuelem* intellexerunt regem *Ezechiam του Achaz* filium, aut filium ipsum *Isaïae*.

Ex Protestantibus et Catholicis a saeculo XVI°. fuerunt, qui contenderunt, Isaïam in vaticinio C. 7, 14. *litteraliter et proxime* locutum esse de uxore regis *Achaz* vel de sua propria uxore, vel de alia quacumque puella, quae tum adhuc virgo, dein viro juncta conciperet ac pareret *Emmanuelem*, ut signum opis divinae, et futurae liberationis ab hostibus Judaeam devastantibus. Contendebant autem *Catholici*, Emmanuelem istum *figuram* seu *typum* fuisse *Messiae*, ita ut Messias in sensu typologico seu mystico illa in prophetia praediceretur. Ita fere ex Catholicis senserunt *Bern. Lamy*, *Dan. Huetius*, *Aug. Calmet* aliique.

Sociniani et *Grotius* praetenderunt, illo in vaticinio de Messia nullatenus agi, hosque ex Catholicis primus secutus est *Joannes Laurentius Isenbiehl*, presbyter dioecesis Moguntinae, et Exegeseos professor.

Hic anno 1773. In suis praelectionibus exegeticis docuit, per Emmanuelem Isaïae 7, 14. *Messiam nec litterali nec mystico sensu intelligendum esse, sed Matthaeum Isaïae textum ut meram adnotationem historicam adducere, seu potius ad illum tantummodo adludere.* Paradoxum hoc inseruit libello, qui inscriptus erat: *Novum tentamen in prophe-*

(*h*) *Tertul. Cont. Judaeos C.* 9.
(*i*) *Euseb. Lib.* 7. *Demonst. Evang. C.* 7.

tiam Emmanuelis (*k*). Hic liber a facultate theologica moguntina socinianismi damnatus fuit. *Isenbiehl* autem a sacris depositus, et monasterio intrusus fuit, ex quo anno 1779. profugus, dein captus, et arctiori custodiae traditus fuit. Idem libellus *Treviris*, *Argentorati*, *Heidelbergae* et *Parisiis* examinatus, ubique ut *erroneus*, hinc inde ut *haereticus* proscriptus, et a Germaniae Episcopis damnatus fuit. Cum autem libro huic faverent ab *Hontheim* suffraganeus Trevirensis, *Seelman* suffraganeus Spirensis, Theologi nonnulli Salisburgenses etc., *Pius VI.* anno 1779. ipsum damnavit ut continentem doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas. D. *Isenbiehl* eodem anno hoc Pontificis R. judicium scripto confirmavit (*l*).

§. CCLXXI.

Crisis sententiae D. Isenbiehl.

Textus Isaïae 7, 14. in sensu litterali de Messia intelligendus est.

544.) 1°. Falsum est, Matthaeum ad Isaïae textum tantummodo adludere, tamquam ad *locum analogum*, vel comparationem dumtaxat instituere inter *Emmanuelem* ab *Isaïa* regi *Achaz*, et inter *Emmanuelem* ab *angelo* promissum *Josepho*, adeoque Jesum Na-

---

(*k*) *Neuer Versuch über die Weissagung von Emmanuel.*

(*l*) Historia contentionis occasione interpretationis D. Isenbiehl exortae videri potest in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica Frisingensi v.* 4., *et in Fr. Walchii Neuesten Religionsgeschichte* 8. *Th.*

zarenum nonnisi in *sensu accomodatitio* esse Emmanuelem Isaïae; nam Matthaeus expressis clarisque verbis dicit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quae verba hisce aequivalent: Isaïas praedixit, Emmanuelem a virgine concipiendum et pariendum esse, et haec prophetia in conceptione et partu Mariae Virginis adimpleta est.

Nec dicatur, Matthaeum usum esse argumento ad hominem; Matthaeus enim argumentum ad hominem hic minime adhibet, cum absolute dicat, Messiam Isaïae vaticinio praedictum fuisse.

2°. Sententia *D. Isenbiehl* non solum *Theologice* sed etiam *Hermeneutice* est falsa; nam Hermeneutica investigat sensum a Scriptore S. intentum, Matthaeus vero testatur, sensum ab Isaïa citato loco intentum esse quod per Emmanuelem Messias praedictus sit; quare *Pius VI.* de sententia D. Isenbiehl: *Horruerunt*, inquit, *piae aures Scripturam simul et traditionem convelli.*

3°. Textus Isaïae 7, 14. non in *sensu typologico*, adhuc minus in *accommodatitio*, sed in *sensu litterali* de Messia et virgine ejus matre intelligendus est; nam *a*) Isaïas ait, virginem qua virginem concepturam et parituram esse filium, nulla autem virgo praeter virginem Mariam qua virgo umquam concepit ac peperit; quare nisi dicatur vaticinium hoc de Maria virgine intelligendum esse, adserendum foret, ipsum adimpletum haud esse. Vocem hebraïcam *Halmah*, qua Isa-

ïas usus est, significare virginem stricte dictam, patet ex ejus radice, ex contextu, ex multis locis biblicis, ubi vox ista ita adhibetur, atque exinde quod a *Jonatha*, et *Onkelo* in suo *Targo*, a *LXX. Interpretibus*, et ab auctore *Vulgatae* per *Virginem* reddita est: *Aquila*, *Theodotion* et *Symmachus*, qui vocem *Halmah* per *adolescentulam* reddiderunt, exponi possunt; caeterum duo priores fuerunt proselyti Judaeorum, et tertius, fuit Ebionita.

b) Isaïas signum concepturae ac pariturae virginis dedit ut prodigium prorsus extraordinarium; ubi vero signum hoc tam portentosum foret, si sensus vaticinii esset, mulierem conjugatam, aut illuc usque virginem, ope viri concepturam esse?

c) Prophetae varia adjuncta vitae ac mortis Messiae praedixerunt, num verisimile est, nullum Prophetarum miraculosam ejus conceptionem ac nativitatem ex Virgine praedixisse?

d) Antiqui Hebraei, Rabbini, Patres Ecclesiae ac Interpretes usque ac saeculum XV. hoc Isaïae vaticinium de Messia ejusque matre virgine litteraliter intellexerunt.

e) Prophetia Isaïae non potest intelligi I°. de *Ezechia* filio ac successore regis *Achaz*; Ezechias enim novem saltem annis natus jam erat, quando hoc vaticinium editum fuit; nam juxta IV. *Reg.* 16, 2. *Achaz* sexdecim annis regnavit, et Ezechias vigesimum quintum aetatis annum agebat, quando defuncti patris solium conscendit, ut constat ex *IV. Reg.* 18, 2.

II°. Intelligi nequit de filio *Isaïae*; ubi e-

nim 1°. extraordinarium hoc portentum fuisset, si uxor seu prophetissa, ad quam *Isaïas* C. 8, 3. accessisse legitur, ope Isaïae concepisset? 2°. Uxor Isaïae virgo non erat, immo mater filii *Jasub* erat *Isaïae* 7, 3.). 3°. Filius ab Isaïa praedictus vocandus erat *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*, filius vero Isaïae nuncupatus fuit: *Accelera spolia detrahere, festina praedari* (*Isaïae* 8, 3.).

III°. Intelligi nequit de ulla alia muliere, quae antea virgo, dein viro juncta concepisset; extraordinarium enim illud portentum ab Isaïa annuntiatum prorsus defuisset, si mulier quaecumque ope viri concepisset; mulier ope viri concipiens virgo esse desiit. Tandem filio nullius mulieris, praeterquam Christo Mariae Virginis filio, conveniunt characteres, quos Isaïas C. 9, 6.; Emmanueli adsignat: *Parvulus*, inquit Propheta, *natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.*

§. CCLXXII.

Solutio difficultatum adversus vaticinium Isaïae 7, 14.

545.) D. *Isenbiehl* supponit, Isaïam secum habuisse puellam, quam indigitando dixisset: *Ecce haec virgo concipiet* etc.

Verum quaenam est ista puella? Puellam aliquam cum Isaïa fuisse, quando istud vaticinium edidit, nullibi legitur, bene vero legitur, Prophetam secum habuisse filium suum *Jasub*, quem Deus illi secum ducere prae-

ceperat C. 7, 3. Num forte puella isthaec est prophetissa, Isaïae conjux, ad quam propheta C. 8, 3. accessisse legitur? Et quo vaticinium Isaïae tunc recidisset? huc nempe, quod propheta 1°. praedixisset conceptionem suae uxoris seu prophetissae, 2°. quod praedixisset ex illa nasciturum *filium*, et quod haec duo signum fuissent proximae liberationis a regibus *Rasin* et *Phacee*. Verum uxor Isaïae non potest vocari virgo, cum talis non esset, filius illius vocandus fuisset *Emmanuel*, *nobiscum Deus*. (Isaïae 7, 14.) illique characteres Messiae C. 9, 6. minime conveniunt.

Sed ajunt adversarii, Isaïas regi *Achaz* dare voluit signum proximae liberationis a regibus *Rasin et Phacee*, Messias autem non nisi post septem saecula nasciturus tale signum esse haud poterat, bene vero filius Isaïae, quem ejus uxor C. 8, 3. peperisse legitur; proinde hoc vaticinium intelligi nequit de Messia, bene vero de Isaïae filio.

Signum proximae liberationis a regibus inimicis Isaïas regi Achaz dedit praedicendo, quod antequam, quadriennis suus filius *Jasub*, quem secum habebat (Isaïae 7, 3.) *sciret reprobare malum et eligere bonum* (*ib.* v. 16.), quod fit septimo circiter aetatis anno, et alter suus filius, quem prophetissa Isaïae 8, 3. peperit, *sciret vocare patrem suum et matrem suam* (ibid.), quod circa tertium aetatis annum contingit, reges *Rasin et Phacee* abigendos, et per Assyrios devincendos esse, ut C. 7, 16. et C. 8, 4. expresse dicitur; hoc vero realiter contigisse constat ex IV. Reg. 16, 7-9. et 17, 3-6.

Verum excipiunt, quomodo haec cum Mes-

sia connectuntur? Ad quid hic mentio facta fuisset de virgine, quae nonnisi post septem saecula conceptura fuisset?

Haec cum Messia optime cohaerere ex hisce intelligitur: *Achaz* rex Judae, Deo diffissus, verebatur, ne cum tota familia regia in hoc bello gravissimo periret; Isaïas igitur ponit illi in signum proximae liberationis a regibus inimicis *ambos suos filios*, et in signum, quo regiam familiam non dumtaxat de sua praesenti, sed et de futura existentia certiorem redderet ait: *Audite Domus David*, tantum abest, ut modo peritura sis, ut immo ex virgine tuae stirpis nasciturus sit ipse *Messias*, *Emmanuel* seu *nobiscum Deus*. Summa equidem mala tibi imminent, eoquod Achaz ab infidelibus Assyriis potius quam a Deo auxilium petiit; at non peribis, ex tuis posteris nascetur Messias. Signum igitur proximae liberationis a regibus *Rasin* et *Phacee* fuerunt *ambo filii Isaïae*, et signum quod regia familia non interitura esset fuit *Emmanuel* seu *Messias*. Et en quomodo singulae partes hujus vaticinii sibi cohaereant, cujus phrases forte Isaïas non eodem ordine protulit, quo illas conscripsit.

§. CCLXXIII.

De tentatione Christi in deserto Matth. 4, 1-11. Marc. 1, 12-13. Luc. 4, 1-13.

546.) Deistae tentationem Christi in deserto explodunt, ajuntque 1°. hujusmodi tentationem divinitate Christi fuisse indignam, et 2°. incredibile esse, Christum a Diabolo portatum fuisse in summitatem templi, ac in verticem montis.

Verum 1°. Christi divinitate non magis indigna fuit haec tantatio, quam incarnatio, passio ac mors ignominiosissima.

2°. Olim equidem multi Interpretes cum *S. Gregorio M.* existimarunt, Christum a Diabolo per aërem portatum fuisse; ast haec sententia solidis destituitur rationibus, et in Scriptura fundamentum certum non habet. *Matthaeus* 4, 5. equidem ait: *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem*; ast si *Lucas*, qui eamdem historiam fuse refert, comparatur cum *Matthaeo*, sique attenditur quid Matthaeus in locis parallelis per *Assumo* intelligat, liquet, Christum a Diabolo non portatum, sed *conductum seu comitatum* fuisse. Jam vero *Lucas* 4, 5. clare ait: *Duxit* (ἤγαγεν) *illum diabolus in montem excelsum*, et *v.* 9. *duxit* (ἤγαγεν) *illum in Jerusalem.*

Quod vero *Matthaeus* 4, 5. per *assumpsit* (παραλαμβανει) intelligat *duxit*, patet ex ejus C. 17, 1. ubi vocem istam ita sumit: *Assumit* (παραλαμβανει), inquit; *Jesus Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum*, C. 20, 17: *Ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit* (παρελαβε) *duodecim discipulos secreto*, C. 24, 40: *Unus assumetur* (εἱς παραλαμβανεται), *et unus relinquetur*, C. 26, 37: *Assumpto Petro* (παραλαβων), *et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse*, atque saepe alibi.

C. 4, 5. Matthaeus refert, Diabolum *statuisse* Christum *super pinnaculum templi*, id est super extremitatem, crepidinem alae templi aequato tecto cooperti. Vox autem *statuit* (ιστησιν) pariter *conduxit* significat, ut de-

nuo constat ex locis parallelis: sic Matth. 25, 33. dicitur: *Statuet* (στησει) *oves quidem a dextris, hoedos autem a sinistris*, Marc. 9, 33. habetur: *Jesus accipiens puerum statuit* (ἔστησεν) *in medio eorum*, id est *conduxit.*

Cum diabolus noscere cuperet, utrum *Jesus Nazarenus filius Dei* esset, profecto sibi cavit, ne illum per aërem deferret, cum secus se diabolum esse manifestasset, atque ita a Christo agnitus, scire debuisset, se quae volebat ab illo haud auditurum (*m*).

§. CCLXXIV.

Hypotheses de tentatione Christi in deserto. Illius explicatio

547.) Christi tentatio in deserto manet semper unum ex factis incomprehensibilibus vitae Christi; quare recentiores nonnulli difficultates facile complanaturi dixere,

I°. Diabolum Christi tentatorem fuisse *virum Hebraeum* a Synagoga ad Jesu divinitatem explorandam missum.

Verum hac in sententia aeque difficile ac in hypothesi veri daemonis explicatur 1°. cur Christus se a tali Judaeo tentari permiserit? 2°. Triplex tentatio *gulae* nempe, *superbiae* et *avaritiae* praesumptae illius Judaei intentioni minime conveniunt, et 3°. ea, quae Evangelistae de triplici hac tentatione narrant minime verificarentur. Quomodo V. G. Judaeus iste se ut angelum tutelarem Palestinae gloria circumdatum sistere in monte potuis-

---

(*m*) Vide *Maldonatum, Calmet et Schnappinger in Matthaei C. 4. Bergier*: *Dict. de Théol. art. Tentation de Jésus-Christ. au désert.*

set, prout diabolus ex Luc. 4, 6. fecisse colligitur.

548.) II°. Alii ex recentioribus ajunt Christi tentationem *Mythum* esse, eam in sola Christi mente constitisse, et allegorice repraesentare pugnam rationis cum sensualitate. Jam existimavit auctor *sermonis de jejunio et tentationibus Christi*, olim *S. Cypriano* attributi, quem nonnulli veteres secuti sunt, totam tentationem invisibiliter in Christi mente contigisse, quemadmodum similia de *Ezechiele* leguntur (Conf. N. 341.).

Ast haec hypothesis 1°. manifestam vim infert verbis Evangelistarum, 2°. pugna ista rationis cum sensualitate dignitati Jesu repugnat, 3°. trinam hanc tentationem aut Christus aut Deus Apostolis manifestavit. Num ridiculum non est adserere, Christum aut Deum simplices tentationes mentales ambagibus inintelligibilibus involutas Apostolis manifestasse, aut Evangelistas eas ita conscripsisse?

549.) III°. Tentatio Christi in sensu naturali accepta, et rite intellecta, non offendit nisi Empyricum, qui rejicit quidquid sensibus examinare nequit. Nos illam ita intelligimus.

Malignus spiritus de beatitudine sua dilapsus, felicitatisque humanae invidus, protoparentum praevaricationis auctor extiterat. Audierat jam ab initio eorum lapsus, nasciturum fore qui *caput serpentis contereret* (Gen. 3, 15.), et qui consequenter *homicidae ab initio* (Joan. 8, 44.) vires infringeret. Illius proinde intererat hunc omnipotentem Dominum cognoscere, ut si posset se illi opponeret.

Perceperat verisimillime astutus ille spiritus, humano spiritu multo perfectior, quae in Christi nativitate, pastorum et Magorum adoratione, in praesentatione in templo, ac in Christi baptismate contigerant; quare Jesum Nazarenum Messiam esse suspicatus est. Ast pauper Christi nativitas, vita obscura illuc usque peracta, forma ordinaria pauperis hominis, immo species peccatoris, illum dubium reddiderunt. Hoc dubium depositurus, Christum triplici tentatione, *gulae* nempe, *superbiae et avaritiae*, quibus vitiis homines passim ducuntur, tentare aggressus est. Quid vero in hoc absonum, quid incredibile? Ad divina consilia haec tentatio spectabat. Quare Matthaeus C. 4, 1. ait: *Jesus ductus est in desertum a spiritu. Christus debuit per omnia fratribus similari*, ait D. Paulus, *ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari* (Hebr. 2, 17-18.).

Evangelistae triplicis tentationis Jesu circumstantias omiserunt; at verisimile est, Christum expleto quadraginta dierum totidemque noctium jejunio sua sponte Hierosolymam iisse, ut missionem suam divinam publice auspicaturus Patrem suum coelestem in templo oraret. Aliquod festum Judaeorum tum imminuisse colligi videtur ex *Matthaei 4, 6.*, ubi atrium templi Judaeis repletum supponi videtur, ita ut tentator Christo de itinere Hierosolymam instituendo locutus, illum Hierosolymam *conduxerit* seu *comitatus sit*, dein vero *conduxerit* super alam templi, quam

Hebraei tempore solemnitatum conscendere soliti fuisse videntur, ut in atrium populo tum refertum commode despicere possent. Christo Hierosolymis in viciniam Jordanis redeunti (*Joan.* 1, 29.) se tentator denuo conjunxit, atque illum in montem excelsum, quo Christus ibat, denuo *conduxit* seu *comitatus est.*

§. CCLXXV.

De morte ac resurrectione Jesu Christi.

550.) Mortuum Christi corpus sepulchro novo in petra exciso impositum est, vastumque saxum ad ostium cavernae spulchralis advolutum fuit *Matth.* 27, 60. Tertia die post mortem die dominica Christus summo mane ad ortum solis resurrexit, orto terrae motu circa sepulchrum, et saxo sepulchrum tegente revoluto *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Joan.* 20.

Increduli ac Deistae ingens resurrectionis Jesu miraculum de medio sublaturi varias absonas opiniones, ipsum sensum communem offendentes, excogitarunt: alii cum *D. Bahrdt* (n), *Eck* (o) et *Gottlob Paulus* (p), delirarunt, Christum adhuc vivum de cruce depositum, vivumque sepulchro impositum fuisse. Verum hoc deliramentum ex solis circumstantiis passionis, mortis et sepulturae Jesu

---

(n) *Epist.* 128. *Ausführung des Plans und Zwecks Jesu* 10. *B.* 1786.

(o) *Versuch die Wundergeschichte des N. T. aus natürlichen Ursachen zu enklären Berlin* 1795.

(p) *Philologisch-Kritischer und Historischer Kommentar über das N. T. Lübeck* 1800.

Christi refellitur: quomodo enim Christus adhuc vivere potuisset, postquam inhumanissime virgis caecus, corona spinea barbarissime tortus ac cinctus, e cruce perfossis manibus pedibusque trium horarum spatio pependisset, atque latus ejus lancea perforatum esset? Illum credidere mortuum milites ejus morti praesentes, qui ideo ejus crura non fregerunt. *Pilatus* vero mortuum Christi corpus *Josepho ab Arimathaea* illud petenti tradere noluit, nisi postquam a *Centurione* certior redditus esset, Christum esse defunctum *Marc. 15, 43-45.*

551.) Antiqui Christi divinaeque ejus religionis hostes Pagani et Judaei insanierunt, discipulos Christi corpus sui magistri furatos esse, rumoremque de ejus resurrectione sparsisse; dixerunt, hunc rumorem adhuc apud Judaeos divulgatum fuisse quando Matthaeus suum Evangelium scripsit *Matth. 28, 15.*

Ast Christi discipulis impossibile fuit divini sui magistri corpus clam auferre; 1. enim ingressus in speluncam saxei sepulchri ingenti lapide clausus erat *Math. 27, 60.*; 2. primores Judaeorum verentes, ne discipuli Christi corpus furarentur, eumque resurrexisse dicerent, rogarunt *Pilatum*, ut periculo huic praecaveret; quare ingressus cavernae sepulchralis cum petra cavernae sigillo munitus ac colligatus fuit, et 3. milites cavernae adpositi fuerunt ad illam custodiendam. Quomodo igitur timidi Christi discipuli, qui tempore passionis prae metu aufugerant, illius corpus furari potuissent?

Discipulos terram suffodisse, atque ita Christi corpus clam surripuisse, aliud est Christi

hostium deliramentum, exinde solum falsitatis convictum, quod Christi sepulchrum fuit in petra, ad quam perforandam magno tempore, magno strepitu, et viris minime timidis opus fuisset.

Mendacem rumorem de furto Christi corporis in vulgus sparsum fuisse equidem testatur Matthaeus, sed etiam refert, principes sacerdotum numerosam pecuniam dedisse militibus sepulchri custodibus, qui illis Christi resurrectionem annuntiabant, ut veritatem occultarent, et hoc absonum mendacium in vulgus spargerent.

§. CCLXXVI.

De adparentibus antilogiis Evangelistarum circa mortem et resurrectionem Jesu.

552.) Deistae audacter adserunt relationem Evangelistarum, de morte et resurrectione Jesu plures continere antilogias, quapropter non pro historia, sed pro narratione in vulgus sparsa habenda sit. Hujusmodi adparentes antilogias in unum corpus congessit impius *anonymus* cujus fragmenta *Lessing* e codice *Bibliothecae Guelpherbytanae* an. 1777. in lucem edidit (*q*). Deistae ajunt

1°. Solum Matthaeum loqui de custodia militum et de sigillo adpositis lapidi sepulchri, tres autem alios Evangelistas de iis silere,

---

(*q*) Auctor horum fragmentorum esse videtur *Joannes Laurentius Schmid.* Hic anno 1735. Werthemii in lucem edidit *Pentateuchum* in cujus praefatione *Naturalismum* profitetur; quare in carcerem conjectus fuit, e quo liberatus obscure obiit Guelpherbyti (*Wolfenbüttel.*).

licet haec illis evidens argumentum resurrectionis Jesu praebuissent, si vera fuissent.

Verum haec non probant, tres alios Evangelistas adjuncta isthaec ignorasse. Maluerunt Evangelistae adlegare proprium testimonium, et dicere: Nos Christum redivivum vidimus, nos cum eo post mortem redivivo conversati fuimus, eoquod principes sacerdotum mendacia de furto Christi corporis in vulgus sparserant.

553.) 2°. Dicunt, si aditus sepulchri sigillo munitus, et custodia militum cavernae sepulchrali adposita fuisset, atque Christus miraculose resurrexisset, synedrium de veritate resurrectionis Christi omnino convictum esse debuisset.

Sed etiam convictum fuit, et hinc ejus principes data pecunia corruperunt milites custodiae, ut Christi resurrectionem negarent; multos etiam e sacerdotibus Christi fidem amplexos esse legitur *Act.* 6, 7. Si Synedrium credidisset, discipulos Christi corpus furatos esse, illos vocasset violatores sepulchrorum, et impostores, eosque ut tales severissime puniisset, quod nallatenus fecit, sed illis dumtaxat prohibuit, ne Christi religionem praedicarent *Act.* 4, 17-21. *Gamaliel* vero in Synedrio verba faciens resurrectionem Christi ut notam posuit *Act.* 5, 34-39.

554.) 3°. Cur Apostoli acta publica resurrectionis Christi a *Pilato* non petierunt, ut illa universo orbi exhiberent, atque ita veritatem resurrectionis comprobarent?

Apostoli omnia a Deo et non ab hominibus sperabant, Pilatus vero illis nequidem haec acta prae metu Judaeorum dedisset.

555.) 4°. Juxta *Marc 16. 1-3.* mulieres ad Christi sepulchrum properantes solummodo sollicitae fuerunt de remotione lapidis monumenti, non vero de custodia militum, *Magdalena* autem juxta *Joan. 20, 13.* verebatur, ne Christi corpus furto ablatum esset. Haec probant, custodiam militum Christi sepulchro minime adpositam fuisse.

Haec consequentia falsa est; ea enim dumtaxat probant, mulieres illas ignorasse quae acta erant, et nescivisse custodiam militum Christi sepulchro adpositam fuisse.

556.) 5°. *Joannes 19, 39-40.* scribit *Josephum et Nicodemum* corpus Christi unxisse, *Marcus* vero 16, 1. et *Lucas 23, 56.* ajunt, *mulieres* aromata emisse ad hoc faciendum.

Sed mulieres istae ignorarunt, corpus Christi a Josepho et Nicodemo unctum fuisse.

557.) 6°. Juxta *Lucam 23, 56.* mulieres emerunt aromata *ante sabbathum* ad Christum ungendum, et juxta *Marcum 16, 1. post sabbathum.*

Sensus Marci est, aromata post sabbathum jam a mulieribus praeparata fuisse, quae ab illis empta fuerant juxta Lucam ante sabbathum, id est tempore sepulturam Christi inter ac initium sabbathi elapso. Marcus usus est perfecto *emerunt* pro plusquam perfecto *emerant.*

558.) 7°. Juxta *Joannem 20, 8-9.* ipsi Apostoli nesciebant, Christum resurrecturum esse.

Ast Joannes vult dicere, Apostolos illuc usque ignorasse Scripturam S. Christi resurrectionem praedixisse; quare ait: *Nondum enim sciebant Scripturam*, V. F. nempe. Confer *Luc. 24, 27.* et *Joan. 2, 22.* Apostolos a Christo audiisse, illum resurrecturum esse clare

patet ex *Matth.* 16, 21. 17, 9. 20, 18-19. 26, 32. *Marc.* 8. 31. 9, 9, 30. 10, 34. *Luc.* 9, 22. 18, 33. 24, 7. *Joan.* 2, 19-22.

559.) 8°. *Marcus* 8, 31. ait, Christum dixisse, se *post tres dies* resurrecturum, et tamen *tertia die* resurrexisse dicitur.

Verum *post tres dies* est hebraismus, qui idem ac *tribus diebus*, et *tertia die* significat; quare Christus *Matth.* 12, 40. dixit, se tribus diebus, et tribus noctibus in sinu terrae mansurum (Conf. *Joan.* 2, 19.).

Hebraei dicebant tertia vel octava die fieri quod intra tres vel octo dies contingebat. Pharisaei et sacerdotes verba Christi *post tres dies resurgam* probe intellexerunt de ejus resurrectione tertia die futura; quare rogarunt Pilatum, ut juberet custodiri sepulchrum *usque in diem tertium Matth.* 27, 63-64.

§. CCLXXVII.

Continuatio priorum difficultatum.

560.) 9°, Juxta *Joannem* 20, 1., ajunt Deistae, Christus resurrexit *mane cum adhuc tenebrae essent*, juxta *Matthaeum* 28, 1. *vespere sabbathi*, juxta *Marcum* 16, 2. *valde mane orto jam sole*, juxta *Lucam* 24, 1. *valde diluculo.*

Joannes ait: *Una autem sabbati*, id est prima die post sabbathum, seu die dominica, *Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebrae essent ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento.* Ex hoc liquet, Mariam Magdalenam solam cum adhuc tenebrae essent ad sepulchrum venisse, Christumque jam tum resurrexisse. Nulla autem est contra-

dictio realis inter Joannem et tres alios Evangelistas; alii enim tres Evangelistae de primo hoc adventu Mariae Magdalenae ad sepulchrum Chrtsti non loquuntur, sed de posteriori illius adventu, quando nempe comitata [erat ab aliis mulieribus. Quum Maria nempe prima vice ad sepulchrum venisset, et lapidem a monumento remotum vidisset, admiratione plena quin monumentum ingrederetur reversa est. Aliquamdiu postea venit ad sepulchrum cum aliis piis mulieribus, quae cum illa profectae fuerant, sed quae vel in via moratae fuerant, vel alia longiore via incesserant, adhuc *valde mane*, *valde diluculo*, *orto jam sole*, ut Marcus et Lucas loquuntur.

Matthaeus ait: *Vespere sabbati*, *quae lucescit in prima sabbati*, *venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulchrum.* Hoc est, vespere sabbathi finito, quando prima dies hebdomadae incipiebat, die dominica nempe ad ortum solis, vel nocte sabbathum sequente ad solis ortum, *venit Maria Magdalena* etc. E quibus patet, omnes Evangelistas de tempore resurrectionis Christi convenire.

561.) 10°. *Matthaeus 28*, *5*. unum dumtaxat angelum commemorat, qui mulieres adlocutus est, similiter et *Marcus 16*, *5.*, *Lucas* vero 24, 4-5. duos angelos fuisse scribit.

At Matthaeus et Marcus unum dumtaxat angelum commemorando alterum minime excludunt; loquuntur enim solummodo de angelo, qui primum adparuit ad dextram sepulchri.

Ad aliis Deistarum difficultatibus obviandum haec paucis habetote. *Maria Magdalena* ante solis ortum cum aliis piis mulieribus ad

Christi sepulchrum profecta est, sed citius quam illae cucurrit, aut breviore via ingressa est, et ante eas ad sepulchrum pervenit, *cum adhuc tenebrae essent* Joan. 20, 1. Videns lapidem a sepulchro remotum, admiratione plena abiit, quin sepulchrum ingrederetur, et cucurrit ad *Petrum et Joannem*, quibus Christi corpus ablatum esse adserit *ibid. v. 2.* Interea aliae mulieres cum Magdalena profectae venerunt ad sepulchrum *Matth, 28, 1. Marc. 16, 1-2. Luc. 23, 55-56. 24, 1.* Tum ad monumentum advenerunt *Petrus, Joannes et Maria Magdalena*, angelum autem nullum viderunt, Petrus vero et Joannes abierunt *Joan. 20, 3-10.* Mansit Magdalena ad sepulchrum, duos angelos ibi videt, dein etiam videt Jesum, et postea proficiscitur resurrectionem Jesu Apostolis annuntiatura *Joan. 20, 11-18.* Apostoli autem illi fidem non adhibent Marc. 16, 9-11.

Redierunt interea piae mulieres cum Maria Magdalena secunda vice ad sepulchrum, ibique viderunt unum angelum *a dextris sepulchri*, qui eas adlocutus est *Matth. 28, 1-5. Marc. 16, 1-5.*, mox et alterum angelum viderunt *Luc.* 24, *1-5.* Laetitiam inter ac timorem abierunt, in via obviam habuerunt Christum redivivum, Apostolis et discipulis omnia narrarunt, atque confirmarunt quae Maria Magdalena illis antea annuntiarat, in via autem nemini illa dixerunt. Apostoli vero nondum eis fidem adhibuerunt *Matth. 28, 8-10. Marc. 16*, 7-*8. Luc. 24*, 9.

Observandum autem est, Matthaeum C. 28., Marcum C. 16. et Lucam C. 24. solummodo de secundo adventu piarum mulierum cum Ma-

ria Magdalena ad sepulchrum Christi mentionem facere, atque omittere primum adventum Mariae Magdalenae quando sola erat, et secundum quando cum Petro et Joanne erat, quos solus Joannes Evangelista recenset.

§. CCLXXVIII.

Finis difficultatum circa historiam passionis Jesu.

562.) Deistae alias adhuc contradictiones in historia passionis Christi se reperisse arbitrati sunt, ut

11°. Quod juxta *Matthaeum* 26, 34. Christus dicat Petro: *Hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis*, dum *Marcus* 14, 30. dicit: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.*

Verum Marcus dumtaxat proprius determinat ad quem galli cantum Petrus Christum negaturus esset.

563.) 12°. Quod *Matth.* 25, 5. de Juda Iscariote ait: *suspendit se*, et *Petrus* Act. 1, 18: *Suspensus* (graece πρηνης γενομενος = *praeceps factus*) *crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus.*

Ast Petrus juxta textum originarium graecum suspensionem Judae ut notam ponit, et solummodo illius adjuncta refert. Judas rupto fune vel ramo arboris dilabi, atque ita crepare potuit.

564.) 13°. Quod *Matthaeus* 27, 34. scribat, Christo in Golgotha oblatum esse *vinum cum felle mistum*, *Marcus* vero 15, 23. ait, *myrrhatum vinum* Christo oblatum fuisse.

Sed vinum cum felle mixtum nihil aliud si-

gnificat quam vinum myrrhatum, vinum nempe amarissimum, myrrha conditum, quale reis, potissimum in crucem agendis, ante supplicium praebebatur, ut perderent spiritus praesentiam, atque tormenta minus sentirent.

565.) 14°. Quod titulus crucis Christi fuerit secundum *Matthaeum* 27, 37: *Hic est Jesus rex Judaeorum*, juxta *Marcum* 15, 26: *Rex Judaeorum*, juxta *Lucam* 23, 38: *Hic est rex Judaeorum*, et juxta *Joannem* 19, 19: *Jesus Nazarenus rex Judaeorum.*

Verum manifestum est, quemlibet horum titulorum eumdem exprimere sensum.

566.) 15°. Quod *Matthaeus* 27, 44. et *Marcus* 15, 32. dicant, *ambos latrones* Christo e Cruce pendenti improperia dixisse, *Lucas* autem 23, 39. scribat, unum latronem id fecisse.

Sed juxta Matthaeum et Marcum ambo latrones Christum blasphemarunt ab initio, unus vero dein gratia Dei interne motus ac conversus est, atque alterum in Christum blasphemias proferentem, de quo loquitur Lucas, reprehendit.

567.) 16°. Quod *Marcus* 15, 25. scribat: *Erat hora tertia et crucifixerunt eum*, *Joannes* vero 19, 14. dicat, quod antequam Christus ad crucem damnaretur esset *hora quasi sexta.*

Ast Judaei, uti et alii Orientales, duobus modis horas diei numerabant; dividebant 1°. diem in quatuor horas aequales, ut noctem in quatuor vigilias aequales dispescebant (conf. *Matth.* 14, 25.), quae ab *Ausonio trihoria* vocantur, eoquod quaelibet tres horas nostrates continebat. Hae horae vocabantur I., III.,

VI. et IX. I. hora incipiebat a sexta hora matutina, et durabat usque ad nonam, III. inchoabatur hora nona, et perdurabat usque ad duodecimam, VI. hora incipiebat duodecima, et desinebat hora tertia pomeridiana, et IX. inchoabatur hora tertia, et durabat usque ad sextam vespertinam. Conf. *Marc.* *15*, 33. *Act.* 2, *15.* 3, *1.* *10*, 3.

2°. Dividebant Hebraei diem in duodecim horas, quarum prima a sexta matutina usque ad septimam, et duodecima a quinta pomeridiana usque ad sextam vespertinam durabat.

Jam vero Marcus usus est priori modo numerandi horas, ut sat liquet ex 15, 33., ubi ait: *facta hora sexta*, seu tertia pomeridiana, *tenebrae factae sunt per totam terram, usque in horam nonam*; Joannes autem posteriorem modum recensendi horas adhibuit; quare juxta Marcum Christus III°. trihorio, seu hora duodecima crucifixus est, et juxta Joannem circa horam sextam, seu duodecimam ad mortem damnatus, et ad supplicium crucis ductus fuit. Conf. *Matth.* 20, 3, 5, 9.

Stabilita authentia Librorum S. V. ac N. F., quaestionibusque hoc nostro aevo scitu maxime necessariis ei insertis, ad Caput IV. Hermeneuticae progredimur.

CAPUT IV.

De textu Primitivo, Variisque Versionibus Librorum S. V. ac N. F.

SECTIO I.

De textu Primitivo Librorum S. V. et N. F.

§. I.

De lingua hebraïca.

568.) Adamum cum dono linguae creatum fuisse, status perfectionis in quo conditus fuit evincit, et caeteroquin nec animantibus mox creatus nomina imponere, ut *Gen. 2, 19-20.* fecisse legitur, nec Deum loquentem intelligere potuisset. Haec Adami lingua usque ad dispersionem posterorum Noëmi et primitivae linguae confusionem ad turrim babelicam conservata fuit, ut ex *Gen. 11, 1-9.* liquet.

Quaeritur autem utrum lingua primitiva protoparentum in aliquo populo pure conservata fuerit? seu utrum ad turrim Babelis in varias dialectos degeneraverit?

Ast nil certi hac de re definiri potest. Moyses ultimum verisimile reddit, cum *Gen. 11, 1-9.* narrat, ad constructionem turris babelicae unam eamdemque linguam omnium Noëmi posterorum fuisse, hancque a Deo esse confusam: *Erat*, ait, *terra labii unius, et sermonum eorumdem ... confusum est labium universae terrae.*

Petitur vero ab eruditis quaenam ex linguis cognitis sit omnium antiquissima? Multi cum

Judaeis adserunt, hanc linguam esse *hebraïcam*, alii vero statuunt *linguam chaldaïcam* (*r*). Qui existimant linguam hebraeam esse linguam protoparentum, adstruunt, illam pure conservatam fuisse in familia *τον Heber*, atque ita transiisse ad Abrahamum ejusque posteros. Qui id negant, ajunt:

(*r*) Qui linguam hebraïcam omnium linguarum esse antiquissimam defendunt, adlegant

1. Varias etymologias nominum Patriarcharum etc., quae Moyses ab hebraïco idiomate derivat; ita *Gen.* 2, 7. dicitur, *Adamum* a Deo formatum esse de *limo terrae*, et alluditur ad vocem hebraeam *Adamach*, quae *terram* significat. *Gen.* 3, 20. Vocat Adam uxorem suam *Heva*, *eo quod mater esset cunctorum viventium*. Vox *Hhai*, unde nomen *Hhavah*, est hebraïca. *Gen.* 2, 23. Heva vocatur *Ischa* (virago), a nomine hebraeo *Isch*, quod *vir* sonat. Nomen *Eden* hebraïce significat *delicias* etc.

2. Dicunt, antiquissimos populos e lingua hebraea suum nomen derivare, *Assyrios* ab *Assur*, *Aramaeos* ab *Aram*, *Lydios* a *Lud* etc. Addunt multa idolorum etc. nomina originem suam deducere e lingua hebraïca, v. g. *Jovem* a *Jesovah*, *Belum* a *Baal*, *Cererem* a *Genes*, quae vox hebraïce *fructus terrae* significat, *Japetum* Promethei patrem a *Japhet* Noëmi filio etc.

3. Ajunt, linguam hebraeam esse omnium simplicissimam, proportionatam proinde simplicitati primorum hominum, qui ad exprimendum animi sui adfectus, et naturae phaenomena voces et signa simplicissima adhibuerunt.

4. Tandem adstruunt, non solum omnes linguas orientales, sed et omnes alias linguas a lingua hebraïca derivari.

Qui propugnant, *linguam chaldaïcam* esse antiquissimam. 1. argumento respondent, nomina ista aut ex lingua primitiva in lingua hebraïca conservata fuisse, aut illa eamdem derivationem in lingua chaldaïca habere, aut Moysen antiqua Patriarcharum nomina hebraïca reddidisse; *Aquilam* ita imitaturum allusionem

Posteri *του Heber*, qui sunt Abrahami majores, nati et commorati sunt in *Chaldaea*, ubi cultum veri Dei deseruerunt, et idola coluerunt: *Trans fluvium* (Euphratem) ait Josue nomine Dei Israëlitis, *habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor: servieruntque diis alienis* (Jos. 24, 2.). Cum familia *του Heber* in Mesopotamia inter Chaldaeos commoraretur (*Gen. 11.*), procul dubio eorum lingua usa est, quemadmodum deserto cultu veri Dei ipsorum idololatriam secuta est, et secus cum illis nequidem commorari ac conversari potuisset. Verum est, po-

---

quae est inter virum et mulierem in vocibus hebraïcis *Isch* et *Ischa*, adhibuisse voces *᾿Ανδρις Andris* et *᾿Ανηρ = Aner*, auctorem Vulgatae idem fecisse utendo nominibus *virago* et *vir*, syriacum *Kephas* ita mutatum esse in *Petram* ad conservandam significationem vocis Kephas, et allusionem ad *Petram* (Math. 16, 18.), LXX. Interpretes nomen *Babel* graece reddidisse per *Συγγεσις = Syngesis*, quae vox graece, ut Babel hebraïce, significat *confusionem* etc. etc.

2. Argumentum ajunt ad summum probare, aliqua nomina linguae primitivae in lingua hebraïca conservata esse; caeterum istas derivationes nominum populorum etc. esse arbitrarias et incertas, et si etiam aliquae certae forent, illas dumtaxat probaturas, Graecos aliosque populos antiquos nonnulla e Libris S. Hebraeorum deprompsisse.

Ad 3. dicunt, simplicitatem linguae hebraïcae tantam non esse, quanta adseritur; caeterum simplicitatem alicujus linguae non esse notam certam ejus antiquitatis. Tandem si linguae hebraïcae simplicitas tanta esset, vix conciliaretur, in hypothesi quod sit lingua protoparentum, cum infusione linguae primitivae Adamo facta.

Ad 4. respondent adfinitatem linguae chaldaïcae, arabicae, phoeniciae etc. cum hebraea solummodo evincere quod sint dialecti ejusdem linguae, et linguam hebraïcam pariter dialectum esse posse ejusdem linguae.

steros *του Heber* inter se alio idiomate uti potuisse; ast eos id fecisse nullibi legitur. Abraham vero in Chaldaea natus (*Gen. 11.*), qui 70. circiter annis in *Ur Chaldaeorum* degit, et postea in *Haran* Mesopotamiae urbe vixit (Ibid.), lingua regionis Chaldaeorum, suorumque majorum profecto locutus est. Lingua autem Chaldaeorum a lingua hebraea, quam Abraham in regione Chanaan didicit, quaeque ejus posteris propria evasit, semper diversa fuit; nam *Laban* de posteris *του Heber*, qui in Chaldaea remansit, Chaldaeorumque linguam servavit, Gen. 31, 41. acervum lapidum *chaldaïce* vocat *Jegar-Schachadutha*, dum *Jacob*, qui in regione *Chanaan* commoratus fuerat, linguaque istius regionis loquebatur, ipsum *hebraïce* nuncupat *Galhaed*. Linguam chaldaïcam seu syriacam ab hebraea diversam mansisse, patet ex IV. Reg. 18, 26., ubi *Rabsaces* jubetur loqui chaldaïce seu syriace, ne Judaei illum intelligerent. Confer. *Isaïae 28, 11. Jeremiae 5, 15.* et *Danielis 1, 3-4.*

Abraham relicta Chaldaea in regionem *Chanaan* secessit, quam a Deo sibi posterisque suis propriam fore audiit. Nullum autem suboriri potest dubium, quin Abraham, neglecta lingua suorum majorum, linguam *Chananaeorum* seu Phoenicum didicerit; quomodo enim 100. annis inter illos habitare, negotia cum eis peragere, mulieres illorum ducere etc. potuisset? Isaac et Jacob, ejus posteri, qui eamdem regionem incoluerunt, profecto eamdem linguam servarunt, quae illorum posteritati propria mansit, et *hebraea* vocata fuit a novo nomine *Abrahami*, qui transmisso *Euphrate* a Chananaeis vocatus fuit *Ibhri* = *Tran-*

sitor, quod veniret e regione trans *Euphratem*, sita, eo sensu, quo vocantur *Transmarini* et *Transalpini* qui ultra mare et ultra alpes habitant. Hinc LXX. Interpretes *Gen.* 14, 13., ubi Abraham prima vice vocatur *Hebraeus*, reddiderunt per τῳ Περατῃ = *Transitori*, Euphratem nempe. Idem fecit *Aquila* (*s*).

(*s*) Nomen *Hebraei*, quod Abrahamo ejusque posteris datum fuit non provenire ab *Heber*, ut nonnulli volunt, patet, quod inter *Heber* et *Abraham* qui primus *Hebraeus* dictus fuit *Gen*. 14, 13., sex generationes elapsae fuerint; nulla enim occurrit ratio cur Abraham potius nomen του *Heber* quam illud sui avi *Nachor*, aut patris *Thare* adsumpsisset. Si nomen alicujus remoti e suis majoribus adoptare voluisset, naturale fuisset, ut nomen elegisset του *Sem*, utpote qui istius generationis stipes erat.

Hinc Hieronymus: *Abraham*, inquit, *Hebraeus, id est* Περατης *et peregrinus transitorque nominatur* (In Ezechiel. C. 7.) Julius Africanus ab Eusebio citatus: *Hebraei dicti*, ait, *Transitores, quia Abraham Euphratem transiit*. Origenes: *Hebraei*, inquit, *qui exponitur trajectitii* (In Math. Item Hom. 19. in Num. et Hom. 35. in Gen.).

Licet vox *hebraeus* sit antiquissima, lingua tamen Judaeorum antiquitus vocata videtur *Judaïca*, ut elucet ex *IV. Reg.* 18, 26, 28. *II. Par.* 32, 18. *II. Esd.* 13, 24, *Isaïae* 36, 11, 13. Post captivitatem babylonicam dumtaxat *hebraïca* nuncupata videtur a Judaeis Hellenistis, qui loquebantur graece, ut ita se distinguerent ab aliis Judaeis qui loquebantur hebraïce. Conf. *Esth.* 3, 7. *Ecclesiast. Prolog.*

Lingua hebraïca, quae Abrahamo ejusque posteris propria remansit, usque ad captivitatem babylonicam pura inter Judaeos conservata fuit, potissimum quod natio Judaea ab aliis populis alio idiomate loquentibus per leges religiosas ac politicas omnino separata erat. Verum tempore ultimae captivitatis babylonicae, quae septuaginta annis duravit, Judaei linguae chaldaïcae adsuescere debuerunt, eoquod cum Chaldaeis permixti

Ex huc usque dictis juxta defensores antiquitatis linguae chaldaïcae sequitur, 1°. linguam familiae *του Heber*, qua locuti sunt *Nachor*, *Thare*, et ipse *Abraham* antequam egrederetur e Chaldaea, fuisse *linguam chaldaïcam*, 2°. hanc linguam esse diversam a lingua hebraïca, et 3°. linguam hebraïcam esse *linguam chananaeam* (*t*).

---

erant; quare reversi de hac captivitate chaldaïce potius quam hebraïce loquebantur. Cum autem linguam hebraeam penitus obliti non essent, illam linguae chaldaïcae admiscebant. Hac lingua chaldaïca verbis hebraïcis et syriacis mixta Judaei tempore Jesu Christi loquebantur.

Porro triplex distinguitur lingua chaldaïca: I. est chaldaïca proprie dicta, quae *Babylone* vigebat, et caeteris puritate praestabat. II. est chaldaïca minus pura, characteribus et idiotismis a priori distincta et *Antiochiae* usitata, haec proprie *syriaca* audit. III. est *syro-chaldaïca Hierosolymis* adhibita, et hinc *hierosolymitana*, *Judaea*, et etiam *hebraïca* vocata.

(*t*) Linguam hebraeam, ajunt, esse *linguam chananaeam* seu phoeniciam, constat 1. ex Isaïa, qui 19, 18. linguam hebraeam vocat *liuguam Chanaan*. 2. Nomina propria locorum et hominum regionis *Chanaan*, quae in libris *Genesis* et *Josue* occurrunt, sunt hebraïca, ut *Jericho*, *Salem*, *Sichem*, *Bethlehem*, *Segor*, *Cariath-Arbe*, *Melchisedech*, *Abimelech*, *Rahab etc.* 3. Crebro in Libris S. legitur, Abraham ejusque posteros cum Chananaeis negotia nec non res magni momenti peregisse, atque sat insinuatur, eos et Chananaeos eadem lingua locutos esse. 4. Cum Patriarcha Joseph se suis fratribus in AEgypto manifestare nollet, eis per interpretem locutus est; si illorum lingua familiae ipsorum propria fuisset, non vero regioni Chanaan, ubi Joseph interpretem eorum liuguae gnarum reperisset? 5. Maxima intercedit conformitas linguam hebraïcam inter et linguam punicam, quae est phoenicia seu chananaea. Hieronymus: *Poeni*, inquit, *sermone corrupto quasi Phoeni appellantur*, *quorum lingua hebraeae magna ex parte affinis est* (Lib. 5.

§. II.

Lingua originaria Librorum S. V. ac N F.

569.) De lingua originaria cujusvis Libri S. V. ac N. F. suo loco disseruimus, hic memoriae juvandae causa paucis dumtaxat repetimus Libros S. V. F. generatim scriptos esse *hebraïce*, et illos N. F. *graece*.

E prioribus tamen excipiuntur *liber Sapientiae* et *II. Machabaeorum*, qui graece scripti sunt. Utrum *liber Tobiae* sit exaratus *hebraïce*, vel *chaldaïce* vel *graece* non omnino constat. *Liber Judith chaldaïce* vel *graece* conscriptus fuit.

In I°. *Esdrae, Daniele et Jeremia* nonnulla *chaldaïce* scripta occurrunt. *Hebraïce* non amplius extant *septem ultima capita Estheris*, *Ecclesiasticus*, *Baruch et I. Machabaeorum*.

E Libris S. N. F. *Evangelium secundum Matthaeum*, *et Epistola ad Hebraeos Hebraïce*, *seu syro-chaldaïce* conscripta fuerunt, eorum autem textus primitivus deperditus est.

§. III.

De autographis Librorum S.

570.) Autographa Librorum S. Veteris Foederis dudum perierunt. Illud *Deutoronomii*

---

in Jerem. C. 25.). Augustinus: *Hunc*, ait, *Hebraei dicunt Messiam*, *quod verbum punicae linguae consonum est*, *sicut et alia hebraea permulta et pene omnia* (Quaest. in Gen. L. 2. contra litteras Petil. C. 104.) *Origenes* (Lib. 3. contra Celsum) *Fl. Josephus* (Lib. 1. contra Appionem), *Eusebius* (Lib. 9. C. 9. Demonst. Evang.), *Bochart* (Lib. 2. *Chanaan*) aliique eamdem conformitatem linguae hebraïcae cum lingua punica seu carthaginensi vel phoenicia observarunt.

Moysis tempore *Josiae* regis Juda, VII°. ante Christum natum saeculo, adhuc extitisse, ex *IV. Reg. 22.* et *II. Paralip. 34, 14.* constat. Tempus et occasio eorum interitus ignoratur. Ipsa vero primum cum templo hierosolymitano periisse, traditio incerta est.

Archetypa Librorum S. Novi Foederis pariter dudum disparuerunt. Illud *Evangelii S. Matthaei* tempore *Origenis* et *Hieronymi* adhuc extitisse dicitur, sed ab Hebraïzantibus corruptum. *Petrus Alex.* vero scribit, autographum *Evangelii S. Joannis* suo tempore, saeculo nempe IV°., in *ecclesia ephesina* adhuc adservatum fuisse (*u*).

§. IV.

Characteres Librorum S., et modus quo scripti fuerunt.

571.) Characteres hebraeos originetenus rudes fuisse, postea alegantiores evasisse, atque tandem formam quam modo habent accepisse, suceessivus artium, scientiarumque progressus, et eruditorum consensus evincunt. *Esdras* vero communiter creditur post captivitatem babylonicam veteribus characteribus hebraïcis nitidiores chaldaïcos, quibus Judaei tempore istius longi exilii edsueverant, substituisse (Conf. N. 7.). Characteres vero Hebraeorum ac Samaritanorum antiquitus iidem fuerunt.

Characteres graeci Librorum S. Novi Foederis olim quadrati, recti et unciales, postea vero oblongi ac obliqui fuerunt. Characteres

---

(*u*) *Petrus Alex. Tract. de Paschate.*

minores saeculo IX°. coepti, atque saeculo subsequenti generaliter recepti fuerunt (*v*).

Libri S. autem V. et N. F. originetenus scripti fuerunt *una continuatione*, ita ut inter phrases et ipsas voces *nullum esset intervallum*. Constat id ex antiquorum scribendi ratione, ex varietate lectionum e variis phrasium vocumque divisionibus saeculo adhuc V°. orta, ex antiquis inscriptionibus, atque manuscriptis vetustissimis (*x*).

§. V.

Divisio Librorum S. in capita et versus.

572.) Divisio Librorum S. V. ac N. F. in *capita* ac *versus* antiquis ignota fuit.

Carmina et libri poëtici V. F. per *hemistichia* ab ipsis eorum auctoribus scripti fuisse videntur.

Pentateuchus post exilium babylonicum, cum quovis die sabbathi in synagogis aliquid ex eo praelegeretnr (*II. Esd. 8. Act. 15, 21.*), in *quinquaginta tres paràschas* seu *sectiones*, divisus fuit, et Prophetarum libri, ex quibus a tempore Machabaeorum aliquid post lectionem legis mosaïcae in synagogis legi consuevit, in *Haphtaras* distincti fuerunt (Conf. *Act. 13, 14-15. Luc 4, 16-20.*).

Libri S. N. F. in commoditatem lectionis publicae saeculo II°. dividi coeperunt in *pericopes* seu *sectiones breves*, et saeculo III°. ac IV°. in *sectiones longiores*; non eadem tamen erat apud omnes haec divisio. *Eusebius* in e-

---

(*v*) Vide *Montfaucon: Palaeographia graeca Lib. 4.*

(*x*) Conf. *Montfaucon opere cit. Lib. 1. C. 4.*

pistola ad *Carpianum*, et in decem canonibus Evangeliorum parvis sectionibus usus est. Solebant Evangelia potissimum dividi in hujusmodi sectiones, quae in margine notabantur.

Divisio Librorum S. N. F. in sectiones longiores vocatur etiam divisio per *titulos*, eoquod libro praemittebatur argumentum seu titulus singularum partium, quae numeris notabantur in margine.

Veteres Patres graeci et latini divisionem Librorum S. in capita ac versus non habentes, textum aut historiam libri citabant, ut constat ex eorum operibus, ubi capita ac versus nullibi adlegantur. Libri S. V. F. apud Graecos et Latinos sine distinctione sectionum vel capitum mansisse videntur usque ad saeculum V. Eo autem tempore commoditatis causa cuilibet Libro S. praemissum fuit *argumentum*, seu *titulus*, rerum in illo contentarum. Cum hi tituli responderent variis partibus libri, et hae distinctae fuerunt. Hae *partes*, seu *capitula*, unicum continebant subjectum titulo indicatum, multo breviores erant modernis capitulis, et usque ad saeculum XI. usitatae fuerunt.

Praesens divisio Librorum S. in capita debetur *Hugoni Cardinali* O. S. D, qui saeculo XIII°. *Concordantiam* Librorum S. curans, Scripturam S. in capita hodierna distribuit.

Actualem vero distinctionem *capitum in versus* introduxit saeculo XVI°. *Robertus Stephanus* typographus Parisiensis.

§. VI.

Interpunctiones, spiritus, accentus et puncta vocalia Librorum S.

573.) Interpunctiones ab auctoribus S. adjectae non fuerunt. Haec signa grammaticalia, quorum inventionis tempus est incertum, adhuc saeculo V°. in Libris S. V. ac N. F. non fuerunt, ut ex diversa scriptorum veterum ratione conjungendi aut disjungendi verba textuum, atque ex *S. Augustino* constat (*y*).

Eulalius vero diaconus Alex. circa annum 462. aerae vulgaris verba Librorum S. divisit κατα στιχους = *juxta stichometriam*, seu in *sectiones exiguas*, tot nempe verba in eadem linea collocando, quot serie continuata legi debebant. Haec divisio late propagata fuit. Postea autem ad lucrandum spatium in libris, qui ita voluminosi evadebant, post quemlibet στιχον = *stichum*, seu finem lineae, adpositum fuit signum aliquod, ut crux, punctum, duo puncta etc. et eadem linea continuabatur. Tandem saeculo IX°. et X°. regularis interpunctio invecta est, atque stichometria neglecta fuit.

Accentus et spiritus, ut plerumque creditur, saeculo IV°. Libris Sacris adpositi sunt, cum recta pronuntiandi ratio obliterata esset; et hinc prorsus desunt in antiquissimis codicibus manuscriptis.

Puncta vero *vocalia* singulis verbis textus hebraei ab Auctoribus S. adjecta non sunt, licet aliqua locis difficilioribus praesertim verisimiliter ab eis adposita fuerint. Actualia

---

(*y*) *August. De Civit. Dei Lib.* 3. *C.* 3.

autem puncta vocalia, quae singulis verbis textus hebraei adjecta legimus, circa saeculum VI. a *Rabbinis Masorethis* successive excogitata et adposita fuerunt.

§. VII.

Utilitas ac necessitas linguarum antiquarum praesertim biblicarum.

574.) Notionem linguarum antiquarum, quibus Libri S. originetenus conscripti fuerunt, Interpreti utilissimam, et quandoque necessariam esse, vix ullus inficias ibit. Versiones ut ut optimae vim et energiam textus originarii non habent. Aliquando phrases textus primitivi in variis versionibus varie redduntur; et tum ad textum originarium recurrendum, melioresque versiones potissimum antiquissimas secum conferendas esse, per se patet. At imprimis sciendum est quam auctoritatem adhuc habeat textus primitivus, et quaenam sint melioris notae versiones.

§. VIII.

Textus Hebraeus V. F. adhuc quoad substantialia integer extat.

575.) Textum hebraeum ab origine sua usque post captivitatem babylonicam, seu ad tempus *Esdrae*, per decem circiter saecula quoad substantialia integrum servarunt *reverentia Judaeorum* in Libros S., qua major excogitari nequit, atque *summa eorum sollicitudo* in illo describendo. Quod vero menda nonnulla minoris momenti contraxerit, commune apographorum fatum evincit. Creditur

autem, Esdram, virum patriae antiquitatis, rituum Judaeorum, Sacrarumque Litterarum peritissimum, Textum Sacrum ope magni numeri exemplarium a mendis quoad licuit correxisse (N. 7.). Textum hebraeum autem tempore Esdrae menda substantialia non habuisse insuper patet, quod *aevo Christi* ab hujusmodi mendis immunis fuerit.

576.) Ab *Esdrae* temporibus usque ad aevum LXX. *Interpretum* per tria circiter saecula textum hebraeum quoad substantiam integrum servarunt *summa Judaeorum* in Sacros Codices *reverentia*, *sollicitudo ingens* illorum in illo describendo, atque *usus linguae hebraïcae* insuper adhuc vigentis. Quod incorruptus illo aevo fuerit denuo evincunt insuper ejus integritas *tempore Christi*, atque *textus Samaritanus* quoad *Pentateuchum*.

577.) Ab aevo LXX. *Interpretum* usque ad *Christum* per tria circiter saecula eadem *ingens Judaeorum* in Biblia Sacra *reverentia*, *maxima* in iis describendis *sollicitudo* textum hebraeum quoad substantialia integrum conservarunt. Quod vero Christi et Apostolorum temporibus incorruptus fuerit patet, quod Christus et Apostoli *Scripturam Sacram* illo aevo extantem *divinam* nuncupantens, et absolute commendantes, ejus incorruptionem substantialem, atque auctoritatem intrinsecam ac extrinsecam supponerent.

578.) A Christi et Apostolorum temporibus usque ad secundum saeculum post Christum textum hebracum quoad substantiam integrum mansisse, testatur collatio *Versionis Alexandrinae* LXX. Interpretum, *Versionis Syriacae Peschito* dictae, atque fragmen-

torum versionum *Aquilae*, *Theodotionis* et *Symmachi*. Ex hisce versionibus autem liquet in textum hebraeum plures variantes lectiones irrepsisse.

579.) A secundo saeculo post Christum usque ad quintum textum hebraïcum a corruptionibus substantialibus immunem servatum fuisse, ostendunt *Origenis Hexapla*, *variae antiquae versiones*, *Vulgata*, *Commentaria S. Hieronymi* etc.

580.) A saeculo quinto usque ad nostram aetatem substantialia textus hebraei incorrupta servarunt, *Maxima Judaeorum Christianorumque* in illum *reverentia*, *puncta vocalia a Rabbinis Masorethis* circà saeculum sextum illi adponi coepta, atque celebres ejus recensiones, quas initio saeculi IX. *R. Aharon Ben-Ascher* Tiberiade, et *R. Jacob Ben Nephtali* Babylone ediderunt. Hi duo eruditissimi Rabbini, quilibet pro sua regione, punctationem ultimatam textus hebraei finxerunt. Varietas illorum recensionis puncta vocalia et accentus dumtaxat respicit, uno verbo *Cantic*, 8, 6. excepto (*z*).

Textus hebraei incorruptio substantialis clare eruitur ex illius collatione cum *antiquissimis versionibus*, *Alexandrina*, *Peschito*, *Paraphrasibus Chaldaïcis Onkeli*, *Jonathae*, *Vulgata* etc.

581.) Textum Sacrum ab Hebraeis in locis

(*z*) Duae istae celebres recensiones effecisse videntur, ut codices manuscripti saeculo X. anteriores, punctis vocalibus destituti, aliterve punctati, neglecti sint, atque tandem perierint, et hinc nullus codex hebraeus manuscriptus saeculo X. certo antiquior superest.

nonnullis *studiose* corruptum esse, virorum linguae hebraïcae probe peritorum consensus, atque summa Judaeorum in Libros S. reverentia refutant, licet inficiandum haud sit, Judaeum aliquem hinc inde locum quempiam in nonnullis exemplaribus vitiasse. Pauca loca, quae ab adversariis integritatis textus hebraei adlegantur ut de corruptione suspecta, non sunt nisi lectiones variantes pejoris notae (*a*).

(*a*) Codicibus manuscriptis hebraïcis examinandis, eorumque valori et aetati sistendis immensam operam impenderunt eruditissimi viri *Kennicott et de Rossi*. Primus in V. T. Hebraïco cum Variis Lectionibus tom.2. Oxonii 1776-80. fol. cum dissert. gen. in V. T. Hebr., atque secundus in opere inscripto: *Variae Lectiones V. T. ex immensa Mss., editorumque Codd. congerie haustae, et ad Samaritanum Textum, ad vetustissimas versiones, et adcuratiores S. Criticae fontes ac leges examinatae. Opera et studio J. Bern. de Rossi S. T. D. Parmae* 1784-88. 4. vol. 4.

Editiones fundamentales textus hebraei sunt 1. *Soncini Biblia hebraïca* cum punctis et accentibus 1488. fol. Sunt maximae raritatis. 2. *Polyglotta Complutensia* 1517., et 3. *Editio Bombergiana secunda* 1526-27. Ex tribus hisce editionibus omnes aliae emanarunt; nonnullae tamen in paucis ad codices manuscriptos emendatae sunt, et inter eas est celebris editio *J. Athiae Amst.* 1661. Editio vero *Van der Hoogtii* 1705., quae quasdam variantes lectiones continet, celebrior facta est per collationem cl. *Kennicott*.

Biblia Polyglotta Complutensia procurante *Card. Ximenes* an. 1514-17. edita, 6. vol. fol. exhibent textum hebraïcum ad codices expressum cum punctis vocalibus sed absque accentibus, continent insuper versionem LXX. Interpretum, Vulgatam latinam, et Targum Onkeli.

Biblia Polyglotta Antverpiensia etiam *Regia* nuncupata an. 1569-72. curante cl. *Aria Montano* typis mandata 8 vol. fol. continet textum hebraeum juxta editionem complutensem expressum mutatis paucis, et praeterea Targum Onkeli, Jonathanis in Prophetas, Job et

§. IX.

Textus Graecus N. F. quoad substantialia adhuc integer est.

582.) Infelici omnium apographorum fato textus graecus N. F. antiquitus in variis codicibus haud parum vitiatus fuit. Ἡ Καινὴ Ἔκδοσις = *Vulgaris editio* jam secundo Ecclesiae saeculo plura menda contraxerat, ut *Clemens Alex. et Origenes* testantur (*b*), et ut patet ex textibus citatis scriptorum illius aevi comparatis cum codicibus graecis antiquis, cum versionibus saeculi quarti, et cum textibus citatis Patrum posteriorum.

Ex genuino autem exemplari *Vulgaris Editionis* in celebri *codice Cantabrigiensi* saeculi sexti nobis adservato, atque ex *versione syriaca* dicto codici maxime simili sed illo minus vitiata, liquet, causas praecipuas mendorum textus graeci, salva semper manente e-

---

quinque Megilloth ex Bombergiana editione secunda, versionem LXX. Interpretum, atque Vulgatam latinam.

Polyglotta Parisiensia an. 1629-45. opera D. *Le Jay* edita, 9. vol. fol. complectuntur quae sunt in Polyglottis Antverpiensibus, et insuper versionem syriacam *Peschito*, versionem arabicam, textum samaritanum, et versionem samaritanam.

Polyglotta Londinensia an. 1657. cura cl. *Walton*, typis mandata 6. vol. fol. continent quae extant in Polyglottis Parisiensibus, atque insuper versionem aethiopicam Psalterii et Cantici, ac versionem persicam Pentateuchi. Heptaglotton D. *Castelli* 2. vol. fol. ad haec Polyglotta spectat.

Optimae editiones textus hebraei sunt illa D. *Dan. Jabłoński* Berolini 1699. illa D. *Van der Hooghtii* Amstelodami et Ultrajecti 1705. Illa D. *Kennicotti* Oxonii 1776., atque illa *D. Jahn* tom. 4. Viennae 1806.

(*b*) *Clem. Alex. Stromatt Lib.* 4. *Orig. in Math.*

jus substantia, fuisse *expressiones clariores*, *explicationes*, *loca parallela aliorum Evangelistarum* a lectoribus studio reddendi Libros S. clariores *in margine vel supra lineam* adnotata, quae deinde ab imperitis vel incuriis amanuensibus textui ipsi inserta fuerunt.

Medio autem saeculo tertio *Origenes*, *Hesychius et Lucianus* haec menda e textu graeco, cum purioribus antiquioribusque codicibus collato expunxerunt, novasque textus graeci editiones exornarunt, quae per AEgyptum, Syriam, Asiam minorem, Thraciam, et provincias palaestinenses, quae sunt mediae inter AEgyptum, Syriam ac Asiam, propagatae fuerunt, atque ita textus graecus correctus, fixus ac late disseminatus fuit.

583.) Successu autem temporis etiam in hasce recensiones varia menda, haud tamen substantialia, irrepserunt, amanuensibus lectiones *Vulgaris Editionis*, glossas Patrum, notasque marginales eis inserentibus; at tot ac tanta non fuerunt, quot et quanta ante Origenem fuerant, atque ex collatione veterum codicum, antiquarum versionum, aliorumque documentorum facile dignoscuntur; textus graecus autem integer quoad substantiam conservatus fuit tum in codicibus *Stichometriae Eulalii* anterioribus (N. 573.), tum in codicibus *Stichometricis*, tum in codicibus extincta Stichometria confectis.

I. Classis sunt celeber *Codex*, *Alexandrinus* vocatus, quod Alexandriae scriptus creditur, et in Musaeo Britannico adservatur, ac celeber *Codex Vaticanus*; uterque litteris uncialibus et quadratis, una continuatione sine interpunctione ac stichometria scriptus

est, et Libros S. V. ac N. F. complectitur. Primus medio saeculo V°. et alter ad finem IV. aut ad initium saeculi V. confectus est.

II. Classis sunt celeber *Codex Cantabrigiensis*, Evangelia et actus Apostolorum referens, et stichometrice (N. 573.) cum versione latina antehieronymiana nitidis litteris uncialibus quadratis pergameno inscriptus versus finem saeculi VI., aut saltem saeculo VII°.

Codex Laudianus acta Apostolorum exhibens, cum versione latina Hieronymo anteriore stichometrice litteris uncialibus exaratus verisimiliter sub finem saeculi VIII.

Codex Claromontanus et Sangermanensis etc.

III. Classis sunt *Codex Cyprius* quatuor Evangelia continens, et saeculo IX°. litteris uncialibus oblongis pergameno inscriptus, additis accentibus et interpunctione qua punctum finem *stichi* (N. 573.) notat.

Codex Basileensis saeculo IX°. litteris uncialibus scriptus cum interpunctione ad regulas grammaticae peracta etc. Hi aliique codices manuscripti saeculi X. XI. ac posteriorum saeculorum descripti sunt a *Montfauconio*, *Birchio*, *Matthaeo*, *Wetstenio*, et *Griesbachio*.

Juxta hos aliosque codices, inventa circa annum 1440. aerae vulgaris typographia, textus graecus initio saeculi XVI. typis mandatus, ac late disseminatus fuit (*c*).

(*c*) Primus textum graecum praelo mandari curavit celeber *cardinalis Ximenes* an. 1514-17. in *Polyglottis Complutensibus*. Secutae sunt editiones *Erasmi* cum versione latina, et *Roberti Stephani*, atque illa *Theod. Bezae* an. 1565. praecedentibus emendatior. Ex *Bezae* recensione codicibusque repertis textus graecus

§. X.

Auctotitas Textus Hebraei V. et Graeci N. F.

584.) Cum constet ex N. 575-583. textum hebraeum Veteris et graecum Novi Foederis quoad substantialia integros esse, sequitur, illos probandi pollere auctoritate, nullumque Ecclesiae decretum extat, quod eorum auctoritati sit contrarium.

Concilium Tridentinum *vulgatam* editionem latinam *Sess. 4. C. 2. authenticam*, id est suis fontibus quoad substantialia conformem declaravit; at fontium auctoritati nihil detraxit, immo vulgatam cum textibus hebraeo et graeco nequidem comparavit, bene vero cum *versionibus latinis*, quae tum circumfereban-

---

dein saeculo XVII. characteribus nitidis saepissime typis mandatus fuit Lugduni Batavorum in *Officina Elzeviriana*, et Amstelodami in *Officina Wetsteniana*; atque ita longe lateque propagatus fuit.

Majori cura dein textus graecus an. 1657. a cl. *Walton* in Polyglottis Londinensibus editus fuit cum lectionibus variantibus. Adcuratius et majori adhuc cum studio plurimisque cum variantibus textus graecus praelo mandatus fuit a cl. *Millio* post 30. annos laboris. Oxonii 1707.

Hisce editionibus novos labores addiderunt *Bengelius* Tubingae an. 1734. et *Wetstenius* Amstelodami 1751. et 1752., cujus tamen opus multis erroribus infectum est. *Griesbachius* Halae 1775. 1777. 1785. et 1793.

Optime deinde de textu graeco meritus est *Chr. Frid. Matthaei* Professor in Academia Moscoviensi edita an. 1782-1788. collectione observationum criticarum 12. tom.

Praeclaram editionem Novi Testamenti Graeci cum lectionibus variantibus procuravit *Car. Alter* Viennae in Austria Professor, Viennae 1787. 8. part. 3. Tandem secutum est novissime Novum Testamentum *And. Birchii* Professoris Hafniensis an. 1798. et 1800-

tur, ut *Sessionis 4. C. 2.* legenti patet: quare *Salmeron* S. J., qui Concilio Tridentino interfuit: *Nihil*, ait, *de exemplaribus graecis et hebraïcis agebatur* (in Concilio Tridentino) *tantum inter tot editiones latinas, quas saecula nostra parturierunt, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit Sancta Synodus omnibus, qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes graecos et hebraeos, quatenus opus sit, consulere... Licebit nobis salva Concilii auctoritate tam ex hebraïcis quam graecis exemplaribus sumere efficax argumentum tamquam ex textu Scripturae Sanctae* (*d*). Idem ajunt *Andreas Vegas*, qui pariter Tridentinae Synodo interfuit (*e*), et *Cardinalis Pallavicini*, Concilii Tridentini historicus (*f*).

Hinc catholici Interpretes quam plurimi textum originarium versioni Vulgatae praetulerunt ac praeferunt, ubi clarior et expeditior est, plures Interpretes novas versiones juxta textum primitivum elucubrarunt, atque falsitatis arguerunt Acatholicos dum Vulgatam versionem ab Ecclesia ipsis fontibus hebraeis et graecis praelatam esse adserebant. Confer N. 608-612.

§. XI.

Pentateuchus Samaritanus.

585.) Pentateuchus Samaritanus a Pentateucho hebraeo non nisi characteribus differt; nobis enim exhibet antiquum textum hebraïcum antebabylonicum et anteesdrinum, vete-

(*d*) *Salmeron Prolog*: 3.
(*e*) *Vegas de justificatione Lib.* 15. *C.* 9.
(*f*) *Pallavic. Historiae Concili Trid. Lib.* 6. *C.* 17.

ribus characteribus hebraïcis, modo samaritanis vocatis, exaratum, dum Pentateuchus Judaeorum continet textum hebraeum characteribus chaldaïcis, aut saltem recentioribus nitidioribusque hebraïcis scriptum, atque hinc Pentateuchus Samaritanus Pentateucho hebraeo aequiparatur (Conf. n. 7. et 571.).

Descendit Pentateuchus Samaritanus ex illo aevo, quo decem tribus Israël cum *Roboam* filio ac successore Salomonis schisma fecerunt, sibique anno 3029. ab orbe condito *Jeroboam* regem constituerunt. Posteriori aetate Samaritani illum a Judaeis regni Juda ob suum continuum in hoc regnum odium nequidem suscepissent, quemadmodum alios Libros S. illorum non receperunt.

Decem tribubus Israël anno mundi 3283. a Salmanassare in Assyriam deportatis, populi chaldaei, *Babylonii* nempe *et Chutaei*, a Salmanassare in Samariam missi fuerunt, qui cum Israëlitis illic relictis, aut ex fuga et dein ex captivitate reversis permixti, *Samaritani* vocati fuerunt. Cum hi populi a leonibus infestarentur, acceperunt a rege Assyriae, verisimiliter ab *Assaradone* sacerdotem Israëlitam de decem tribubus captivis, qui illis *Pentateuchum* attulit (N. 80.). Ex hoc codice descendunt exemplaria *Pentateuchi Samaritani* antiquis litteris hebraïcis scripta, quae ad nostra tempora pervenerunt, et quae Samaritani ob ingens in Judaeos odium numquam correxerunt.

§. XII.

Auctoritas Pentateuchi Samaritani.

586.) Pentateuchum Samaritanum per se ma-

gna auctoritate pollere, praesertim quando cum codice hebraeo, antiquisque versionibus convenit, ex dictis colligitur, atque hinc primis Ecclesiae saeculis a S. Patribus frequenter citatus ac laudatus fuit (g). Paucioribus equidem mendis quam codex hebraeus laborare deberet, eoquod nec ad *Masoram* mutatus, nec tam crebro quam ille descriptus fuit, utpote populi exigui usui inserviens; at reapse pluribus scatet mendis, quae sunt triplicis generis.

Alia mutant sensum, ut *Gen.* 5. et 11. in aetate Patriarcharum, ubi frequenter differt a codice hebraeo, a LXX. Interpretibus et a Vulgata. AEtas Patriarcharum progredientibus generationibus gradatim aequali et constanti proportione decrescit; ex *S. Hieronymo* vero liquet, saeculo V°. codicem samaritanum in hoc nondum vitiatum fuisse (*h*). *Deuteronomii* 27, 4. Samaritani substituerunt vocem montis *Garizim* voci *Hebal*, quae est in codice Hebraeo, ut suam praetensionem de templo in monte Garizim extructo, et de cultu ibidem Deo exhibendo promoverent.

Alia menda sunt additiones sensum explicantes: sic *Gen.* 2, 2. legunt Samaritani cum LXX. Interpretibus, Deum *sexto die* absolvisse opus creationis, et *septimo* requievisse, dum eo loco in codice hebraeo legitur, Deum *septimo die* creationis opus absolvisse, et eodem die requievisse.

Tandem alia menda sunt transpositiones, repetitiones, et litterarum mutationes. Conf. N.

(g) Conf. *Walton Prolog. I. Prideaux Part. I.*
(*h*) *Hieron. Quaest. in Gen. C.* 5, 25-28.

103. Ex hisce vero sequitur, textum samaritanum, quando codici hebraeo, aut antiquis versionibus consonat, magna pollere auctoritate, utpote qui tum nobis lectionem antiquam prisci codicis hebraïci sistit.

SECTIO II.

De Versionibus Textus Originarii V. ac N. F.

§. XIII.

Notiones Praeviae.

587.) Oracula et beneplacita divina electo populo Hebraeo proprio ejus idiomate revelata, appropinquante tempore, quo caeteris omnibus nationibus manifestanda erant, divina disponente providentia, in varias variorum populorum linguas translata sunt. Has inter versiones eminent *Versio Alexandrina*, LXX. Interpretum vocitata, atque *Vulgata Latina*, quarum prima Ecclesiae usui primitivo maxime inserviit, et altera hodiernis Ecclesiae usibus destinata est.

Dividuntur porro versiones biblicae 1°. in *Versiones Orientales et Occidentales* Veteris Foederis, et 2°. in *Versiones Orientales ac Occidentales* Novi Foederis. De illis primum, et de his postea agemus.

§. XIV.

De versionibus Orientalibus V. F.

588.) Versiones Orientales Veteris Foederis sunt 1°. plures versiones graecae, *Alexandrina* nempe, LXX. Interpretum nuncupata, versiones *Aquilae*, *Theodotionis*, *Sym-*

machi, *Quinta*, *Sexta*, *Septima*, atque collectiones *Origenis*, 2°. plures aliarum linguarum orientalium ut versio *Chaldaïca*, *Syriaca*, *Samaritana*, *Arabica*, *AEthyopica*, *Persica*, *AEgyptiaca*, *Armeniaca*, et *Sclavonica*.

Auctoritas harum aliarumque versionum dependet, 1°. a textu, e quo emanarunt, 2°. ab aetate, qua factae sunt, 3°. ab indole auctoris a quo confectae sunt, 4°. ab earum conformatione, et 5°. ab hodierno illarum statu seu conditione.

De Versionirus Graecis V. F.

§. XV.

Versio Alexandrina LXX. Interpretum.

589.) Mittimus quae quondam juxta personatum *Aristaeum* de *origine celebris Versionis Alexandrinae*, LXX *Interpretum* nuncupatae, repetita fuerunt (*i*) referemus dumtaxat quae ab eruditis viris criticis de hac versione tenentur.

(*i*) Quod nempe *Ptolomaeus Philadelphus* rex AEgypti ad captandam Judaeorum benevolentiam, et obtinendos eorum libros S., centum millia Judaeorum captivorum libertate donaverit, pro singulis praetium 20. drachmarum ipsorum dominis persolverit. munera magnifica *Eleazaro* summo sacerdoti miserit, et ab hoc obtinuerit septuaginta duos Judaeos hebraïci et graeci idiomatis peritissimos, et quidem sex ex qualibet duodecim tribuum, qui in insula prope Alexandriam de traductione inter se conferentes, septuaginta duobus diebus Legem Judaeorum in graecum idioma traduxissent (*Aristaeus de S. Script. Interpretat.*). Missa facimus quae *Philo* (*Lib. 2. de vita Moysis*) meminit de in-

I°. *Versio Alexandrina*, LXX. vel LXXII. tnterpretum dicta, omnibus versionibus V F. antiquitate et auctoritate praeeminet; facta est juxta textum hebraeum a Judaeis AEgyptiis, ut plures voces aegyptiacae testantur ante annum 285. aerae vulgaris sub *Ptolomaeo Lagi* rege AEgypti, ut S. *Irenaeus* et *Clemens Alex.* testantur, verisimiliter opera *Demetrii Phalerii* in usum Judaeorum Hellenistarum ultra centum millia a dicto rege ex Judaea in AEgyptum abductornm, et ibi publico suae religionis cultu gaudentium.

Nuncupata fuit haec versio LXXII. et numero rotundo LXX. Interpretum, vel quod a *Sanhedrio Hierosolymitano* ex LXXII. doctoribus composito adprobata fuit, vel quod verisimilius est, ita dumtaxat vocitata fuit, postquam a tempore *Justini M.* Aristaei narratio credi coepit. Diu post suppositum tempus personati Aristaei circa tempus Justini M. haec versio LXX. Interpretum nuncupata fuit (*k*), atque ita distinguebatur ab aliis versionibus graecis V. F.

---

spiratione horum septuaginta duorum Interpretum, qua singuli de verbo ad verbum eadem scripsissent, quae habet *Justinus M.* (*Exhort. ad Gentil. Vide et ejus Apolog. ad Imp. Anton.*) *de septuaginta duabus cellulis* a Philadelpho expresse construi jussis, in quibus septuaginta duo Interpretes separati suam versionem confecissent et in sua versione perfecte convenissent, atque quae narrat *Epiphanius* (*De mensuris et ponderibus*) de *triginta sex cellulis*, in quibus bini et bini inclusi fuissent.

(*k*) De historia versionis LXX. Interpretum legi possunt *Ellie Du Pin Dissertations préliminaires sur la Bible* Liv. I, C. 6. §. 2. et 3. *Calmet*, *Dictionn. de la Bible art. Septante Interprètes. Bergier Dict. de Théol. art. Septante. Jahn Introd. in L, S. V. F.* P. I. C. 2. §. 34. Viennae 1804.

Cum *Plutarchus* referat (*l*) *Demetrium Phalerium* consuluisse *Ptolomaeo Lagi*, ut scriptores politicos legeret, a mortuis ita auditurus quae viventes ei dicere haud auderent, Ptolomaeus, qui scientias protegebat ac colebat, forte exemplar graecum legis mosaïcae a synagoga petiit, illudque bibliothecae regiae intulit!

Itaque substantia narrationis Aristaei vera erit, atque in eo consistet, quod versio graeca legis Judaeorum sub *Ptolomaeo Lagi*, regnante jam forte cum illo *Ptolomaeo Philadelpho*, Alexandriae facta fuerit, et fortassis bibliothecae regis AEgypti illata sit.

II°. Dicto tempore translati sunt *quinque libri Moysis* (*m*).

Reliqui Libri S. V. F. a variis doctoribus hebraeis graeci idiomatis peritis variis temporibus e textu hebraeo in graecam linguam translati sunt, ut constat ex varietate linguae graecae in variis libris occurrente, ex diversitate, stili, modi vertendi, et ex diversa nominum propriorum orthographia. In aliis libris traductor presse sequitur litteram, et in aliis sensum duntaxat. Hebraïsmi vero et voces aegyptiacae in versione Alexandrina extantes argumento sunt, illam ab Hebraeis in AEgypto esse confectam.

Versio *Pentateuchi* omnium est optima, hanc sequitur traductio *Proverbiorum*, veniunt tertio loco versiones librorum *Judicum*, *Ruth et quatuor Regum*. Libri *Job*, *Psalmorum et Prophētarum* minus bene versi sunt, liber

---

(*l*) *Plutarch. Reg. et Imperat. Apophtegm.*

(*m*) *S. Hier. ad Ezech.* 5. *et* 16.

Ecclesiastis litteraliter versus est. Interpres *Ecclesiastici*, qui saeculo III°., aut saltem saeculo II. ante Christum vixit, in *Prologo* ut notissimum ponit, omnes Libros S. Judaeorum dudum in graecum idioma esse translatos: quare totam *versionem Alexandrinam* saeculo circiter III°. ante Christum natum absolutam fuisse oportet.

§. XVI.

Recensiones Versionis Alexandrinae.

590.) Omnium apographorum sorte dudum ante Christum natum in celebrem hanc versionem varia menda, equidem haud substantialia, irrepserant, quae postmodum cum ejus exemplaria in usum Judaeorum ac Christianorum saepissimae describerentur, aucta sunt. Ejus chronologia in epocha generationis *Patriarcharum* corrupta fuit, et quidem ut videtur ante Christi nativitatem (Conf. N. 102.). Tempore *Origenis* Judaei Christianis Scripturam S. juxta LXX. Interpretes in controversiis adlegantibus exceptionem faciebant, ajebantque, versionem Alexandrinam ab hebraïco textu dissentire, in aliis abundare, et in aliis esse mancam. Quare *Origenes* saeculo III°. illam plurimis inter se collatis exemplaribus correxit, atque additamenta *obelo*, et defectus *asterisco* notavit.

Successu autem temporis haec signa, ab Origene adposita, mutata, et tandem omissa fuerunt; hinc malum auctum, et confusio in recensione Origenis orta est.

Lucianus Ecclesiae Antiochenae presbyter, qui anno 311. aerae vulgaris martyr occubuit, recensionem secundam versionis Alexandrinae

instituit, eamque juxta textum hebraeum perfecit.

Circa finem saeculi III. vel initium IV. *Hesychius* episcopus et martyr aegyptius aliam recensionem versionis LXX. Interpretum exornavit. Non constat utrum suam recensionem juxta antiquos codices versionis Alexandrinae, aut juxta textum hebraeum elucubraverit.

Ex tribus hisce recensionibus omnes codices manuscripti et editiones praelo confectae LXX. Interpretum descendunt (*n*).

§. XVII.

Auctoritas Versionis Alexandrinae.

591.) Versio isthaec Judaeis Hellenistis loco textus hebraei fuit, apud alios Judaeos olim maximam auctoritatem habuit, et *Fl. Josephus* ea in suis *Antiquitatibus Judaïcis* ut textu primitivo usus est. Christus et Apostoli illam loco textus hebraei saepe adlegarunt, et Apostoli ipsam Ecclesiis Christianis tradi-

(*n*) Potiores editiones Versionis LXX. Interpretum sunt *a*) *Complutensis* in Polyglottis extans (N. 581. n.) *b*) *Aldina* Venetiis 1518. *c*) *Romana* ad codices Vatic. Romae opera Card. *Caraffa* sub Sixto V. confecta. *d*) Editio Lamberti *Bos* cum lectionibus variantibus Franequerae 1709. *e*) *Grabii* ad codic. Alex. 1707-20. *f*) *Breitingeriana* cum signis hexaplaribus 1730-32. In hisce aliisque editionibus versio prophetiae Danielis desumpta est ex versione *Theodotionis*.

Versio Alexandrina Danielis primùm typis mandata fuit Romae 1772. juxta codicem Card. *Chigi*, qui ultra octo saecula antiquitatis habet.

Indiget versio LXX. Interpretum nova recensione critica, cui D. *Holmes* collatis quotquot in Europa extant codicibus manuscriptis nostro tempore operam navat.

derunt (N. 19.). Hinc omnes Ecclesiae Graecae antiquae illa versione usae sunt, et *Versio Italica* V. F. quam *Ecclesia Latina* adhibuit, usque dum saeculo VII°. versio hieronymiana illi substituta esset, juxta Alexandrinam versionem facta fuit. Veteres Interpretes eam loco textus primitivi quondam consuluerunt, et quando versiones pro populis ad fidem conversis faciendae erant, frequentissime juxta versionem LXX. Interpretum exornabantur.

Multi immo versionem Alexandrinam ut ejus Interpretibus divinitus inspiratam habuere, et *S. Hieronymus*, qui ut *Origenes*, huic inspirationi fidem non adhibebat, et defectus istius versionis probe noscebat, apud multos male audiit, quod novam *versionem latinam* juxta *textum hebraeum*, et non juxta *versionem LXX. Interpretum* elucubrabat. S. Doctor crebro conqueritur de persecutione, quae ei hac de causa mota fuit (*o*). *Cogor*, ajebat, *per singulos Scripturae Divinae libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem Septuaginta Interpretum criminantur* (*p*).

Versio Alexandrina primis Ecclesiae saeculis adeo usitata fuit, ut *S. Augustinus* saeculo V°. de illa diceret: *Hanc, quae LXX. est, tamquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur graeci populi christiani, quorum plerique, utrum sit alia aliqua ignorant* (*q*).

(*o*) *Prolog. I. in Biblioth. Divin. S. Hieron.* §. 4 *Op. T.* 1.

(*p*) *Hieron. Praef. in Lib. Job.*

(*q*) *August. de Civitate Dei Lib.* 18.

Ex dictis sequitur Versionem Alexandrinam adhucdum magna pollere auctoritate quando cum textu hebraeo, aut melioris notae versionibus antiquis concordat.

§. XVIII.

Versio Graeca Aquilae.

592.) Nulla alia versio Librorum S. V. F. ante Christum certo extitit quam illa LXX. Interpretum dicta. Post Christum natum intra an. 90-130. aerae vulgaris aliam versionem graecam V. F. juxta textum hebraeum exornavit *Aquila* natione Ponticus, qui juxta *S. Irenaeum* (*r*) et *S. Hieronymum* (*s*), ac juxta ipsam vertendi rationem *Judaeus* fuit. *S. Hieronymus* ait, Judaeos R. *Akiba magistrum Aquilae proselyti autumasse* (*t*). *S. Epiphanius* plura suspecta de Aquila refert.

Videtur Aquila hanc versionem suscepisse, ut Judaeis Hellenistis ostenderet, quae in textu hebraeo vere contineantur; atque hinc versionem suam *juxta verba* textus originarii scrupulosius confecit.

Illum *studiose* corrupisse textus de Christo agentes haud probatum est. *S. Hieronymus* illum vocat: *Verborum Hebraeorum interpretem diligentissimum* (*u*), et ad *Damasum* scribens: *Aquila*, inquit, *non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum* (*v*).

(*r*) *Iren. Lib.* 2. *C.* 24.
(*s*) *Hieron. Praefat. in Lib. Job.*
(*t*) *Hieron. Comment. in Isaïae C.* 1.
(*u*) *Hieron, Epist.* 138. *ad Marcellam.*
(*v*) *Epist.* 125. *ad Damasum.*

Loca, quae ut ab Aquila corrupta adlegata fuerunt, versiones etymologiae vel lectiones variantes, vel versiones malae esse videntur: sic Isaïae 7, 14. vox *Halmah* = *Virgo*, quae a LXX. Interpretibus ut oportet per *Παρθενον* = *Virginem* reddita est, ab ipso versa est *Νεανις* = *Juvencula*.

Aquila, ut suam versionem adhuc magis litteralem redderet, secundam illius editionem exornavit, sed quae adeo obscura fuit, ut sine textu hebraeo vix intelligi posset. Hinc *S. Hieronymus* Aquilam modo vocat interpretem studiosum et diligentissimum, et modo contentiosum (*x*). Versio Aquilae a Judaeis Hellenistis et a graecis Christianis aestimata fuit. Periit autem; sed fragmenta illius extant in *commentariis S. Hieronymi in Jeremiam, Ezechielem ac Danielem.*

§. XIX.

Versio Graeca Symmachi.

593.) Alteram versionem graecam Librorum S. V. F. saeculo II°. post *Theodotionem* edidit *Symmachus* christianus judaïzans seu *Ebionita*, ut *Eusebius* (*y*) et *Hieronymus* (*z*) testantur. Vertit textum originarium non litteraliter ut *Aquila*, sed *sensum e sensu* eleganter expressit. Versionem suam in secunda editione perpolivit. Eam antiqui *perspicuam*, *manifestam*, *apertam et admirabi-*

(*x*) *Hier. in Isaïae C.* 8.
(*y*) *Euseb. Hist. Lib.* 6. *C.* 17.
(*z*) *Hieron. Praef. in Lib. Esdr. et Nehem.*

lem dixerunt (*a*). Nonnisi fragmenta hujus versionis supersunt.

§. XX.

Versio Graeca Theodotionis.

594.) *Theodotion* juxta *S. Irenaeum* Ephesius, et *S. Hieronymum* Judaeus *Ebionita* (*b*), medio saeculo II°. versionem graecam Librorum S. V. F. elucubravit, quam *S. Justinus* anno 160. in suo *Dialogo*, et *S. Irenaeus* anno 177. aerae vulgaris laudarunt.

Media via Aquilam inter et Symmachum incedit, et versionem suam illi LXX. Interpretum ita adcomodavit, ut illius recensionem edere visus fuerit; subtraxit nempe quae in versione Alexandrina abundabant, supplevit quae deerant, et correxit quae minus recte versa illi videbantur.

Videtur Theodotion hanc versionem incepisse, ut suis Ebionitis in controversiis cum Judaeis indicaret quid esset in textu hebraeo. *Origenes* versionem Alexandrinam maxime juxta Theodotionis versionem correxit. Versio *Danielis* Theodotionis in tota Ecclesia graeca recepta fuit. Caeterum nonnisi fragmenta versionis Theodotionis habentur. *S. Epiphanius* plura de Theodotione, uti et de Symmacho, refert, quae viris criticis haud probantur.

§. XXI.

De Versionibus graecis V., VI., et VII.

595.) Praeter quatuor versiones graecas tex-

(*a*) *Hieron. in Isaiae C.* 1.
(*b*) *Hieron. Praef. in Daniel.*

tus hebraei, N. 589-594. recensitas, extiterunt adhuc tempore *Origenis* tres aliae versiones graecae textus hebraïci, ab auctoribus anonymis confectae, quae V., VI. et VII., nuncupatae fuerunt a numero columnarum, quem in *Hexaplis Origenis* occuparunt. Auctorem VI. versionis christianum fuisse, ex ejus versione in *Habacuc 3, 13.* liquet.

Auctores harum versionum videntur suos pro controversiis edocere voluisse quae in textu hebraïco habeantur.

Erant porro hae versiones *Origeni* anteriores et liberius peractae. Continebant omnes tres *Psalmos* et *Prophetas minores*, V. et VI. insuper *Pentateuchum*, ac *Canticum Canticorum*, et VII. ac V. *duos libros Regum* graece redditos exhibebant. Fragmenta earum invenit Parisiis *D. Bruns* in Codice hexaplari Syriaco.

§. XXII.

Tetrapla et Hexapla Origenis.

596.) Cum Judaei Christianis, Scripturam S. juxta versionem LXX. Interpretum adlegantibus, objicerent, hanc versionem a textu hebraeo dissentire, *Origenes* (c) versio-

---

(c) *Origenes* an. 185. aerae vulgaris Alexandriae in AEgypto patre *Leonide* natus, et ob assiduum laborem *Adamantinus* nuncupatus, ingenii ac eruditionis portentum, et inter doctores veteris Ecclesiae facile princeps fuit. Tanta a tenera aetate pietatis indicia edidit, ut pater ejus dormientis detectum pectus saepe exoscularetur, tamquam inhabitantis Spiritus S. templum. Cum patrem suum, ob fidem in carcerem conjectum, adire haud posset defectu vestium, quas ejus mater absconde-

nes graecas, de quibus locuti sumus; primum in *Tetrapla*, ac dein in *Hexapla* conjecit, versionem LXX. Interpretum in medio collocavit, quae in illa deerant e *textu hebraeo*, *Aquila*, *Symmacho*, *V.*, *VI.* et *VII. versione*, ac frequentissime ex *Theodotione*

---

rat, ne se persecutoribus ultro offerret, eum egregia epistola ad martyrium hortatus est. 17mo. aetatis anno patre orbatus, et cum matre et sex fratribus natu minoribus ad extremam pauperiem redactus, a nobili ac divite muliere christiana in domum receptus fuit; at sibi quo viveret paraturus, eam deseruit, et Grammaticam docere coepit. Ex hoc munere anno 18. aetatis Catechumenis instituendis loco *Clementis Alexandrini*, cujus discipulus fuit, praefectus est. Omnes libros profanos divendidit ea conditione, ut emptor illi singulis diebus pecuniam valoris sex circiter solidorum (sols) monetae gallicae persolveret. Explicando Libros Sacros, docendoque alias scientias auditores habuit pene innumeros ac praeclarissimos, tum ex Christianis, tum ex ipsis philosophis paganis, pluresque eorum martyrii corona insigniti fuerunt. Tanto fervore ac zelo praeditus fuit, ut confessores in vinculis inviseret, ad judices et ad supplicium comitaretur, ac ad constantiam in fide signis verbisque adhortaretur; quare Gentiles ejus vitae saepe insidiati sunt, eumque ob fidem in carceres detruserunt.

Cum ob munus institutionis Catechumenorum cum mulieribus conversari cogeretur, famam a maledicentia, et sese a tentationibus tutaturus, verbis Christi Math. 19, 12: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum*, litteraliter intellectis, seipsum majori zelo quam prudentia eviravit. Ordinatus tandem 42. circiter aetatis anno Caesareae in Palaestina sacerdos a *Theoctisto* illius urbis episcopo ex consensu *S. Alexandri* episcopi Hierosolymitani, aliorumque episcoporum provinciae. *Demetrii* episcopi Alexandrini indignationem sibi conscivit, atque ab eo in duobus Conciliis depositus, ac communione ecclesiastica privatus fuit ob tres rationes, 1. quod semetipsum eunuchum reddiderat, 2. quod ordinatus fuerat sine consensu sui episcopi, et

adjecit, nomen auctoris littera ejus initiali indicavit, haecque additamenta *asteriscis* notavit; quae vero in versione LXX. Interpretum abundabant *obelo* indigitavit, ut lectores scirent, illud in textu hebraeo deesse.

---

3. quod plures errores docuerat. Hanc Demetrii in Origenem sententiam ab aliis Ecclesiis ratam habitam fuisse, scribit *Hieronymus Lib. 2. adv. Ruffinum.*

Origenes sui apologiam confecit, conquestusque est, suos libros ab haereticis fuisse corruptos, variosque errores eis esse insertos. Origenes postea *Beryllum*, *Bostri* in Arabia episcopum, adserentem Christum duntaxat Deum esse coepisse post suam e Maria nativitatem, ad veram fidem reduxit. Vocatus dein ab episcopis Arabiae ad Concilium aliquod celebrandum adversus haereticos *Arabes* dictos, animam cum corpore interire adstruentes, devios sua sapientia ac eloquentia ad Christi ovile revocavit. Tandem obiit Tyri anno 254. aerae vulgaris et 69. aetatis.

Deus videtur huic doctori soli ea defendendae religionis media contulisse quae ordinarie nonnisi pluribus doctoribus impertiri solet, adeo ut dici possit, Origenem maximum ingenium, aut saltem unum e summis ingeniis, quae extiterunt, fuisse. Nullus autem scriptor ante et post obitum ab aliis magis laudatus, et ab aliis magis vituperatus fuit quam Origenes, nemoque tot scripta in lucem edidit quam ille; teste enim *Ruffino* illius scripta adscendunt *ad sex millia.* Septem amanuenses scribebant quae dictabat, et totidem illa transcribebant. A patre Leonide juvenis cogebatur aliquas sententias e Scriptura S. addiscere, et memoriter recitare antequam se ad studia profana conferret. Hinc ingens ejus in Libros S. amor, vastique illius labores in eos proficiscuntur. Sensu autem obvio et litterali haud contentus in mysteria et allegorias inquirebat, atque plura in Scriptura allegorice exposuit.

Origenes suis scriptis plures errores inseruit; at illos ut opiniones tradit, distinguit a dogmatibus, et circa annum 248. aerae vulgaris *tum ad Fabianum Romanum Pontificem, tum ad alios episcopos rectae fi-*

Vastum hoc opus, 27. annis Tyri absolutum, 50. voluminibus constabat. Anno 303. Caesareae in bibliothecam *Pamphili* deportatum fuit, ubi postea *S. Hieronymus* suos codices ad illud correxit. Numquam autem descriptum fuit, et Caesaraea a Saracenis devastata periisse videtur.

---

dei scripsit confessionem, ut Eusebius refert *Hist. Lib* 6. *C.* 29.

De illo extant 1. fragmenta *Hexaplorum et Commentariorum in Scripturam S.*, 2. *octo libri contra Celsum* philosopum epicureum, sub imp. *Commodo* verisimiliter defunctum. Hoc opus ut optima apologia religionis christianae totius antiquitatis semper habitum fuit, tum propter ejus ingentem eruditionem sacram et profanam, tum propter expositionem philosophematum paganorum philosophorum adversus Christi religionem, tum propter illius puram elegantemque dictionem, tum tandem ob vim argumentorum et stili, ac ordinem materiarum.

Habentur 3. *quatuor libri de Principiis*, quibus in religionis materia standum sit. In hoc opere Origenes proprio velificatus ingenio, et principiis *philosophiae Platonis*, quam optime callebat, abreptus, inter alia docet, spiritus e Deo promanasse aequales, maximam eorum partem in peccatum lapsam esse. et illos hinc juxta gravitatem suorum peccatorum variis in corporibus pro illis creatis tamquam in carceribus inclusos esse, atque inde provenire diversam tractationem animarum hominum, angelorum et astrorum. Animam Christi dicit per charitatem perfectissimam se Deo conjunxisse, et ideo meruisse, ut ab eo numquam separaretur; omnes alios spiritus asserit a bono ad malum, ac vicissim, transire posse. Origenes principio platonico innixus, Deum non infligere nisi poenas medicinales, seu in rei emendationem, male conciliaturus Dei justitiam cum illius bonitate, adstruebat, daemones et damnatos post eorum scelerum expiationem salvandos esse. Fundamentale Origenis principium erat, materiam et spiritus ex Deo tamquam ex principio omnium entium promanasse. Quare

Prisci scriptores nonnisi de Tetraplis et Hexaplis Origenis quoad collectionem textuum Scripturae S. mentionem faciunt; Hexapla vero quandoque *Ogdopla* et *Enneapla* nuncupata fuerunt.

---

mirum non est, Origenis errores in quinta Synodo OEcumenica proscriptos esse.

4. tandem supersunt *Tractatus de oratione*, *Hortatio ad martyrium*, et *Epistola ad Africanum.*

En Schema Tetraplorum et Hexaplorum Origenis.

TETRAPLA.

1. Columna. versio *Aquilae.*	2. Columna versio *Symmachi.*	3. Columna VERSIO LXX. INTERPRETUM.	4. Columna versio *Theodotionis.*

HEXAPLA.

1. Col. *Textus Hebraeus* litteris Hebraïcis exaratus.	2. Col. *Textus Hebraeus* litteris graecis scriptus.	3. Col. Versio *Aquilae.*	4. Col. Versio *Symmachi.*	5. Col. Versio *LXX. Interpretum.*	6. Col. Versio *Theodotionis.*	7. Col. Versio V. graeca.	8. Col. Versio VI. graeca.	9. Col. Versio VII. graeca.

De Reliquis Versionibus Orientalibus V. F.

§. XXIII.

Paraphrases Chaldaïcae.

597.) Hebraei ex captivitate 70. annorum apud Babylonios reduces *linguae chaldaïcae* seu assyriae adsueti, hanc linguam verbis hebraïcis mixtam loqui perrexerunt, ita ut haec lingua illis patria facta sit. Hinc opus fuit Bibliornm versionibus chaldaïcis, quae consequenter confectae fuerunt.

Antiquissima *Paraphrasis* seu versio *chaldaïca* est illa R. *Onkeli*, quem *Thalmud Babylonicum* aevo Christi vixisse statuit. Ast saeculo II°. aerae vulgaris floruisse videtur. Complectitur haec paraphrasis *Pentateuchum* de verbo ad verbum in puram linguam chaldaïcam translatum, et a fabulis Thalmudicis est immunis.

Altera *Paraphrasis chaldaïca* complectitur libros *Josue*, *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*, *Isaïae*, *Jeremiae*, *Ezechielis et duodecim Prophetarum minorum*, atque attribuitur *Jonathae* filio *Uzielis*, qui in Thalmude Babylonico pariter aetate Christi vixisse statuitur. Verum diversitas linguae, et varietas versionis evincunt, eam a variis interpretibus saeculo III°. et IV°. factam esse. Haec paraphrasis lingua chaldaïca minus pura quam versio Onkeli scripta est, variasque additiones continet.

Praefato Jonathae adscripta quoque fuit *Paraphrasis chaldaïca*, seu Targum, *Pentateuchi*; sed verba exotica, varia commenta, linguae hebraïcae ignorantia, commemo-

ratio *Constantinopolis*, *Turcorum* etc., quae in illa occurrunt, probant, hanc paraphrasin dicto Jonathae multo esse posteriorem, et ante saeculum VII. non esse exaratam.

Targum Hierosolymitanum Pentateuchi, quod non complectitur nisi scholia in quosdam textus, plures fabulas, verba graeca, latina ac persica continet, est recentius et nullius fere auctoritatis.

Extant adhuc *Paraphrases chaldaïcae Jobi*, *Psalmorum et Proverbiorum*, quae a Judaeis attribuuntur *Josepho caeco*, qui saeculo III°. vixisse fertur; ast ex earum contextu constat, eas esse saeculo III°. multo posteriores.

Dein habentur *tres Paraphrases chaldaïcae libri Esther*, et quarta partium deuterocanonicarum hujus libri; Targum quinque Megilloth, seu librorum *Ruth*, *Esther*, *Cantici Canticorum*, *Threnorum*, *et Ecclesiastis*, atque tandem paraphrasis chaldaïca *Paralipomenon*, ut adeo habeantur paraphrases chaldaïcae omnium librorum protocanonicorum V. F., excepto *Daniele*, *Esdra* et *Nehemia*. Ast hae ultimae paraphrases scatent fabulis et additamentis.

§. XXIV.

Versio Syriaca Peschito, aliaeque Versiones Syriacae.

598.) Versio syriaca *Peschito*, id est simplex seu litteralis dicta, secundum textum hebraeum facta est ab auctoribus anonymis juxta nonnullos aevo Salomonis, juxta alios tempore destructionis regni Israëlitici, et juxta

alios aetate *Thaddaei* Apostoli. Illud constat, eam esse antiquissimam, saeculo IV°. ab *Ephrem Syro* ut late notam positam fuisse, atque in primitiva Ecclesia maxima in veneratione fuisse; quare saltem saeculo II°. confecta fuisse videtur.

Fons versionis syriacae Peschito est textus hebraeus, ut vel patet ex variis lectionibus, quae solum ex hoc textu explicari possunt. Adfinitas illius cum *versione Alexandrina* probat, illius auctores versionem LXX. Interpretum consuluisse. Varia vero in variis libris interpretandi ratio evincit, hanc versionem plures auctores habere. Caeterum versio haec bona est.

Extant aliae *versiones syriacae*, quae ex versione LXX. Interpretum emanarunt, ut *versio syriaca hexaplaris*, saeculo VII°. verisimiliter facta juxta textum hexaplarem *Origenis*, *Philoxenia* versus finem saesuli V. nata, et *figurata* vel paraphrastica e saeculo III°. vel IV°. descendens, et saeculo VIII°. correcta.

§. XXV.

Versio Samaritana et Arabica.

599.) *Versio samaritana* Pentateuchi ab auctore anonymo diu ante saeculum VII. facta est, sequitur textum hebraeum Samaritanorum ad litteram. In anthropomorphismis autem, et Dei adparitionibus, nomen Dei per angelum Dei exprimit, quod Samaritanis non videtur fuisse familiare.

Versio, aut Paraphrasis, arabica *Pentateuchi* ac *Isaïae* a R. *Saadia Phijumensi* AE-

gyptio saeculo IX°. juxta textum hebraeum confecta est.

Extat adhuc *versio arabica* Pentateuchi, quae a Judaeo Africano saeculo XIII°. concinnata videtur, presse sequitur textum originarium.

Extant insuper versiones arabicae, quae ex syriaco *Peschito*, et ex versione graeca LXX. Interpretum descendunt.

§. XXVI.

Versio Persica, AEthiopica, AEgyptiaca, Armeniaca et Sclavonica.

600.) *Persica versio* Pentateuchi, in Polyglottis Londinensibus extans, ob dialectum recentiorem saeculo X°. non videtur anterior, juxta textum hebraeum concinnata est.

Versio aethiopica jam tempore S. Chrysostomi existebat (*d*), et ex versione Alexandrina, seu LXX. Interpretum, descendit.

Versio Librorum S. V. F. in varias recentiores *dialectos aegyptiacas* juxta versionem LXX. Interpretum facta est, et quidem verisimiliter primis Ecclesiae saeculis.

Versio Armeniaca saeculo V°. a *Miesrebo*, qui litteras armeniacas invenisse perhibetur, facta est juxta versionem Alexandrinam, postea vero ad syriacum *Peschito*, et ad *Vulgatam* latinam correcta fuit ab episcopo *Yuschkam*.

Sclavonica tandem versio juxta vsrsionem LXX. Interpretum saeculo IX°. facta est pro *Bulgaris* et *Moravis* a *Cyrillo Thessaloni-*

(*d*) *Chrys. Hom. 2. in Joannem.*

censi, qui litterarum sclavonicarum inventor dicitur.

De Versionibus Occidentalibus.

§ XXVII.

De antiquis Versionibus Latinis.

601.) Sacra Biblia non minus in Occidente quam in Oriente a primordiis christianae religionis in linguam vulgarem versa fuerunt, necessitate religionis propagandae ac docendae id postulante. Cum vero *lingua latina* idioma vulgare late patentis Imperii Romani esset, Scripturae S. a multis in *linguam latinam* translatae fuerunt, non equidem juxta textum hebraeum, sed secundum *versionem graecam* LXX. Interpretum, quod lingua graeca in Imperio Romano sat communis esset, lingua vero hebraïca a paucis nosceretur. Quam plurimas fuisse versiones latinas, liquet ex *S. Augustino*, qui scribit: *Qui Scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari* (e). *S. Hieronymus* vero ait, *tot fuisse exemplaria* seu versiones, *quot codices* (f).

(e) *August. de Doctr. Christ. Lib.* 2. *C.* 11.
(f) *Hier. Praef. in Job.*

§. XXVIII.

Versio Itala.

602.) Inter has versiones latinas una antiquitate, accuratione, perspicacitate et auctoritate praestabat, quam S. Augustinus (*g*) aliique antiqui passim *Italam*, S. Hieronymus (*h*) *Vulgatam* ac *Communem*, et S. Gregorius M. (*i*) *Veterem* adpellarunt.

Continebat haec Versio Itala Vetus Testamentum juxta *versionem graecam* LXX. Interpretum, et Novum Testamentum juxta *Editionem Graecam Vulgarem* latine reddita. Quis illius auctor sit, et qua praecise aetate confecta fuerit haud constat. Id certum est, eam esse antiquissimam, et primis saeculis usque ad saeculum VII. in Ecclesiis Latinis generaliter adhibitam fuisse. Auctorem textum LXX. Interpretum litteraliter expressisse, liquet ex hujus versionis fragmentis. Fragmenta biblica in nostris Missalibus Romanis ex illa versione desumpta sunt.

Flaminius Nobilius quotquot fragmenta illius reperire potuit collegit, et reliqua juxta versionem LXX. Interpretum latine reddidit, haecque versio Polyglottis Londinensibus inserta est, Critico autem caret usu nisi in excerptis ex Patribus (*k*).

(*g*) *August. De Doctr. Christ. Lib.* 2. *C.* 15.
(*h*) *Hier. in Isaiae C.* 14. *et C.* 49.
(*i*) *Greg. Epist. ad Leandr.*
(*k*) Versionem Italam quoad magnam partem deperditam esse creditum fuit; at spes affulget eam aliquando denuo integram videndi; nam *P. Buriel* S. J. ad finem saeculi elapsi *Toleti* detexit duos *codices gothicos manuscriptos* hujus celebris versionis. Caeterum

Cum Versio Itala, successu temporis saepissime descripta, quam plurima menda contraxisset, S. Hieronymus illam quoad Vetus Testamentum maxima ex parte ex LXX. Interpretibus juxta *recensionem Origenis* correxit, ac postea Vetus Foedus quoad maximam partem e textu hebraeo latine vertit, Novumque Foedus juxta textum graecum emendavit, ex quo ultimo labore S. Hieronymi *Vulgata* nostra descendit, ut mox videbimus.

Correctio Bibliorum S., a *S. Hieronymo* juxta Hexapla Origenis facta, in multis Ecclesiis antiquitus recepta fuit. Psalterium primum ab illo *cursim*, ut ipse fatetur (*l*), juxta versionem LXX. Interpretum correctum, Romae susceptum fuit, et hinc *Romanum* dicitur. Postea vero Hieronymus illud ad textum Hexaplorum adcuratius emendavit, asteriscis ac obelis additis. Hoc Psalterium in Galliis receptum fuit, atque hinc *Gallicum* vocitatur.

§. XXIX.

Versio Vulgata Utriusque Foederis.

603.) S. Hieronymus linguae hebraïcae, graecae et latinae peritissimus, ac sub finem vitae etiam idioma chaldaïcum edoctus, omnes

---

tempore *Lucae Brugensis*, an. 1619. defuncti, existebat in *Abbatia Malmundariensi* (Malmedi) in Dioecesi Leodiensi codex manuscriptus omnium *Epistolarum S. Pauli* versionis Italae. *D. Martianay* an 1710. hujus versionis edidit libros *Judith*, *et Job*, *ac Evangelium S. Matthaei*, *et P. Blanchini* an. 1748. Romae edidit quatuor *Evangelia*.

(*l*) *Hier. Praef. in Psalmos.*

libros protocanonicos e textu hebraeo vertit eo fine: *Ut Judaeis*, inquit, *calumniandi et irridendi Christianos sit ablata occasio, utque scirent* Christiani, *quid hebraïca veritas contineret* (*m*).

Librum *Tobiae* juxta exemplar chaldaïcum ope interpretis Judaei linguae chaldaïcae periti (Conf. N. 241.), latine reddidit, et postea ipse librum *Judith* ex idiomate chaldaïco in linguam latinam transtulit. Alios libros V. F. Hieronymus non vertit.

Traduxit autem Hieronymus hosce libros successive, eo nempe ordine, quo ejus amici illos vertendos petebant (*n*).

Expressit Hieronymus sensum Librorum S. fideliter, sed quandoque antiquiorum Interpretum graecorum terminis usus est, ne nimia interpretationis novitate lectores offenderet, ut ipse fatetur (*o*), et hinc in suis commentariis quandoque propriam versionem corrigit.

Nonnullae autem discrepantiae versionis vulgatae a textu hebraeo proficiscuntur ab amanuensium incuria, ut *Gen. 3, 15. ipse* pro *ipsa* vel *ipsum*, *ibid.* C. 8, 7. *et non revertebatur* pro *et revertabatur*, Gen. 11, 13. *trecentis tribus* pro *quadringentis triginta octo* (N. 104.), et *Exod. 32, 28. viginti tria millia* pro *tria millia* (Conf. N. 130.).

Libros S. Novi Testamenti S. Hieronymus collatis multis codicibus graecis et recensio-

---

(*m*) *Hier. Tom. 4. Oper. Col.* 627. *et Praef. in Lib. Job.*

(*n*) *Hier. Praef. in Paralip. in Esdr. et Nehem. ac in Pentat.*

(*o*) *Hier. Praef. ad Comment. in Eccl. et Praef. in Pentat.*

ne Origenis ad preces *Damasi R. P.* correxit, et graecae fidei restituit (*p*). Ne autem populos lectioni veteris versionis Italae adsuetos sua correctione offenderet, Novum Foedus ita correxit, *ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateretur ut fuerant* (*q*).

Constat igitur Vulgata nostra

1°. Ex *libris protocanonicis* Veteris Foederis a S. Hieronymo juxta textum hebraeum, et ex libris *Tobiae* ac *Judith* juxta chaldaicum translatis.

2°. Ex libris et partibus Veteris Foederis quales erant in veteri versione Itala. Hi libri ac partes sunt: *Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, I. et II. Machabaeorum, Epistola Jeremiae, septem ultima capita libri Estheris, duo ultima capita Danielis, oratio Azariae, et canticum trium puerorum, atque Psalterium,* quod nonnullas tamen correctiones S. Hieronymi continet.

Verterat equidem Hieronymus Psalterium juxta textum hebraeum, sed haec versio ob longum et publicum usum Psalterii veteris versionis Italae in usum Ecclesiae recepta non fuit (*r*), quia fuisset *arduum senis mutare linguam et senescentem jam mundum ad initia trahere parvulorum* (*s*).

(*p*) *Hieron. Praef. ad Damasum, et Catal. Script. Eccles.*

(*q*) *Hier. Praef. in Quatuor Evangelia.*

(*r*) Psalterium versionis Italae in Ecclesia Rom. conservatum fuit usque ad *Paulum V.* qui ei Vulgatae Psalmos substituit. Praefatum Psalterium adhuc Romae in Basilica S. Petri et Venetiis in ecclesia S. Marci adhibetur.

(*s*) *Hier. Praef. ad Damasum.*

3°. Constat Vulgata ex libris Novi Foederis antiquae versionis Italae a S. Hieronymo ad preces *Damasi R. P.* juxta codices graecos correctis.

§. XXX.

Fata Versionis Vulgatae.

604.) Licet Vulgata versio Utriusque Foederis, quae maxima ex parte D. Hieronymum auctorem vel correctorem habet, sit praecellens, et in genere suo absolutissima, ab initio tamen suae adparitionis quamplurimos nacta est adversarios, de quibus S. Hieronymus in omnibus fere praefationibus, et in multis epistolis conqueritur: *Cogor*, ajebat, *per singulos Scripturae Divinae libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem septuaginta Interpretum criminantur* (*t*). Clamitabant alii, Hieronymi recensionem Novi Foederis veterum auctoritati esse injuriosam (*u*).

Hieronymus, praeoccupatarum opinionum probe gnarus, *Damaso R. P.*, qui illum ad corrigendum Novum Testamentum versionis Italae induxerat, dicebat: *Pius labor, sed periculosa praesumptio, judicare de caeteris, ipsum ab omnibus judicandum: senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia trahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus vo-*

(*t*) *Hier. Praef. in Job. Conf. Epist,* 10. *Augustini ad Hier. Ruff. T. IV. p.* 424. 448. 450. *Praef. Hier. in Lib. Esdr. et Nehem. et Apol, II.*

(*u*) *Hier. Epist.* 26. *ad Marcellam.*

lumen assumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere (*v*).

A posteris autem, aequioribus judicibus, versio S. Hieronymi jure merito adprobata fuit, saeculo V°. et VI°. in usum publicum Ecclesiarum Latinarum, auctoritate potissimum *S. Gregorii M.* (*x*), recepta, et saeculo VII°. in Latinorum Ecclesiis generaliter adhibita fuit. Quare *S. Isidorus* episcopus Hispalensis (*y*) saeculo VII°. ajebat: *De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter S. Scripturas convertit, cujus editione* GENERALITER *omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis.*

Successu temporis cum exemplaria versionis hieronymianae saepissime describerentur, ac multiplicarentur, varia amanuensium menda in illam irrepserunt, immo nonnulla eis ex versione Itala tanquam correctiones illata fuerunt; quare versus initium saeculi IX. jussu *Caroli M.* ab *Alcuino* juxta *vetustiores ac veriores fontes* correcta fuit. Illam dein circa annum 1089. recensuit *Lanfrancus* episcopus Cantuariensis, et circa medium saeculi XII. *Nicolaus Card.* Secuta sunt *Correctoria* Sorbonnae, *Hugonis a S. Caro*, et emendatae editiones *Adriani Gumelli*, *Al-*

(*v*) *Hier. Praef. ad Damasum.*
(*x*) *Greg. Praef. Moral. in Job.*
(*y*) *Isid. Lib.* 1. *Off. C.* 12.

berti Castellani, *Editorum Polyglottorum Complutensium*, *Roberti Stephani* an. 1540. et 1545. *Hentennii* an. 1547. Lovanii, et *Theologorum Lovaniensium*, quorum opera versio haec cum codicibus manuscriptis collata, atque pluribus lectionibus variantibus aucta, prodiit *Antverpiae* 1580. et 1585. (*z*)

§. XXXI.

Vulgatae Utriusque Foederis correctiones romanae.

605.) Concilium Tridentinum *Versionem Vulgatam* declaratam *authenticam* corrigi, seu *quam emendatissime* imprimi jusserat (*a*); quare Pius IV., Pius V. et Sixtus V. illam ad antiquissimos codices undique conquisitos, et etiam ad textum originalem emandarunt, haecque correctio prodiit Romae anno 1590., et *constitutione perpetuo valitura* Ecclesiae Latinae praescripta fuit.

Cum autem *Sixtina correctio* haud exacta

(*z*) Primae editiones Vulgatae praelo commissae sunt absque nota anni et loci impressionis. Prima editio annum et locum typographiae exhibens est illa *Moguntiae* anni 1462. 2. v. f., quae est summae raritatis. Exemplar illius venditum fuit apud comitem *Hoym* 2000. fr. Moguntinam editionem secutae sunt illae *Embricae* 1465. 2. v. f., *Augustae Vindelicorum* 1466 f., *Reutlingae* 1469. f., *Romae* 1471., *Moguntiae* 1472. f., *Neapoli* 1476. f., *Venetiis* 1476. f., *Parisiis* 1476. 2. v. f. Omnes istae editiones sunt rarissimae et carissimae.

Celebre *Psalterium* anni 1457. hoc anno 1817. a Ludovico XVIII. Galliarum rege emptus fuit 12,000 fr. Hoc Psalterium est primus liber, qui annum editionis exhibet. Alterum dumtaxat adhuc exemplar hujus Psalterii *Viennae* in Austria adservatur.

(*a*) *Sess. 4. Decr. 2.*

esset, altera instituta fuit, in qua 2000. circiter locorum ad antiquos codices, ad textus citatos a Patribus, et ad textum originarium emendata sunt, plerisque correctionibus ex editione Theologorum Lovaniensium desumptis (Conf. N. 604.). Comparuit nova haec editio Romae sub Clemente VIII°. anno 1592., eamque omnes posteriores editiones sequuntur.

Occasione istarum duarum correctionum *Thomas James* suum *Bellum Papale* composuit, quod 2000. circiter locorum in secunda correctione emendata essent. At constat, hasce correctiones non respicere nisi expressiones plus minusve exactas (*b*). In correctione Sixtina et Clementina nullum umquam mendum detectum fuit, quod dogma aliquod aut mores respiciebat.

Lucas Brugensis plusquam 4000., et *Isidorus Clarius* 8000. mendorum in Vulgata extare dixerunt; at ex collatione Vulgatae cum suis fontibus, codicibusque antiquis patet, nullum esse, quod rem substantialem respiciat.

§. XXXII.

Decretum Tridentinum de Vulgata U. F.

606.) Cum saeculo XVI°. multae versiones U. F. circumferrentur, quarum aliae a Catholicis, aliae ab Acatholicis confectae erant, Protestantesque *Versionem Vulgatam* ex Ecclesiis eliminarent, Concilium Tridentinum (*c*) edixit: *Sancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae*

(*b*) *Vide Bukentop· Lux de Luce.*
(*c*) *Sess. 4. Decret. 2.*

Dei, si ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur Sacrorum Librorum, quaenam pro authentica sit habenda innotescat, statuit, et declarat, ut haec ipsa Vetus et Vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Decreto praecedenti statuit: *Siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, pro ut in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata Editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit.*

Eo ipso igitur quod a Tridentino Concilio *Vulgata* declarata sit *authentica* seu *auctoritatem faciens*, nullumque librum aut partem rejicere liceat, sequitur, versionem hanc quoad *substantialia* esse fontibus conformem, ita *ut nullo defaedata sit errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit*, ut *Vegas* theologus hispanus, qui Concilio Tridentino interfuit, loquitur (*d*). Synodum Tridentinam dicto sensu Vulgatam dixisse authenticam pariter testatus est *Cardinalis a S. Cruce*, qui ut legatus Romani Pontificis *sessioni 4.* Concilii Tridentini praefuit, et postea sub nomine *Marcelli II.* Romanus Pontifex fuit, prout refert *Andradus* theologus regis Lusitaniae ad Concilium Tridentinum (*e*).

(*d*) *Vegas De Justific. Lib.* 15. *C.* 9.
(*e*) *Andrad. Defensio Tridentinae fidei P.* 361.

Quod vero *authenticitas Vulgatae* non involvat exclusionem mendorum in dogmata et mores non influentium, patet quod *Concilium Tridentinum Vulgatam declaraverit authenticam licet correctione indigeret*, quae a Romanis Pontificibus peracta est (N. 605.), illamque *quam emendatissime* typis mandari jusserit.

Vulgatam vero versionem, ut ut optime juxta regulas sanae critices sub Clemente VIII°. correctam, menda tamen, equidem minoris momenti, continere, 1°. candide fatetur *Praefatio Bibliorum* sub Clemente VIII° Scripturae S. praefixa, in qua dicitur: *Quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, hebraeis, graecisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit: in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.*

2°. *Card. Bellarminus*, qui unus ex correctoribus romanis fuit, in *epistola ad Lucam Brugensem* scribit: *Scias velim, Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata, multa enim de industria, multis de causis, pertransivimus, quae correctione indigere videbantur.*

Catholicorum nonnulli autumarunt, Concilium Tridentinum Vulgatam fontibus hebraeis et graecis praetulisse, horumque usum suo decreto prohibuisse, idque quidam antiqui Acatholici Tridentinae synodo exprobrarunt.

Verum *a*) ex ipsis verbis *decreti tridentini* liquet, Concilium Vulgatam fontibus non

praetulisse; nam illam non cum *fontibus*, sed cum *latinis editionibus* quae tum circumferebantur contulit, eamque edixit, confusionis nempe tot versionum, periculique errorum evitandi causa, solam inter omnes existentes versiones latinas *in publicis lectionibus* etc. ut authenticam adhibendam esse. *b*) Concilium Tridentinum Vulgatam fontibus non praetulisse, horumque usum non interdixisse testati sunt

1°. *Cardinalis a S. Cruce* sessionis 4. Concilii praeses, et dein ipse Romanus Pontifex sub nomine Marcelli II., testibus *Andrea Vega*, et *Andrado* (*f*),

2°. *Melchior Canus*, episcopus Canariensis, *Andr. Vegas*, *Andradus*, *Laynez* (*g*), Generalis S. J., qui omnes Concilio Tridentino infuerunt, *Card. Pallavicinus* (*h*), qui historiam Concilii Tridentini conscripsit, et

3°. *Salmeron* S. J., qui pariter Concilio Tridentino interfuit. Hic: *Nihil*, ait, *de exemplaribus graecis aut hebraïcis agebatur* (in Conc. Trid.), *tantum tot inter editiones latinas, quas saecula nostra parturierunt, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit S. Synodus omnibus, qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes graecos et hebraeos, quatenus opus sit, consulere .... Licebit nobis, salva Concilii auctoritate, tam ex hebraïcis quam graecis exemplaribus, sumere efficax argumentum, tamquam ex textu Scripturae Sanctae* (*i*).

(*f*) *Loc. Cit.*
(*g*) *Apud Mariana.*
(*h*) *Lib.* 6. *C.* 17.
(*i*) *Salm. Proleg. III.*

4°. Decretum Tridentinum hoc in sensu semper intellexerunt meliores Theologi, ut *Cardinalis Bellarminus*, qui (*k*) Calvinum mendacii arguit, quod adsereret, Tridentinam Synodum Vulgatam fontibus praetulisse, *Genebrardus*, *Ribera*, *Serarius*, *Bonfrerius*, *Sanderus*, *Adam Contzen*, *Tannerus*, *Bannez*, *Du Pin*, *Calmet*, *Bergier*, *Jahn* etc. Jubet equidem Concilium Tridentinum usum versionis *Vulgatae in publicis lectionibus*, *disputationibus etc.*, at cum Concilium locutum non sit nisi de *versionibus latinis*, sequitur, illam solam *ex omnibus versionibus latinis* ad usum publicum in Ecclesia Latina adhibendam esse. Ita Catholicorum doctissimi Concilii Tridentini decretum semper intellexerunt, censentes illud respicere eos, qui linguas originarias Librorum S. haud callent, iisve haud utuntur; hinc, doctissimi Interpretes catholici novas versiones Bibliorum S. post Tridentinae Synodi decretum juxta textus originarios Librorum S. elucubrarunt (Conf. N. 608-612.), et alii in suis Commentariis in Scripturam S. Vulgatae praetulerunt textum originarium, ubi hic clarior et expeditior videbatur, et hinc adhibent in usum suae Ecclesiae *Graeci* Catholici pro V. F. *versionem Alexandrinam* LXX. Interpretum, et pro N. F. textum graecum originarium, *Arabes versionem arabicam*, *Syri syriacam*, *Armeni armeniacam* etc..

Cum vero textus originarius quoad substantiam incorruptus extet (N. 575-583.), et *Vulgata* quoad substantialia suis fontibus sit con-

---

(*k*) *Bellarm. De verbo Dei Lib.* 2. *C*, 10.

formis (N. 606.) sequitur, dissensionem substantialem inter textum originarium et Vulgatam locum habere non posse (*l*).

§. XXXIII.

Versiones Orientales N. F.

607.) Antiquissima versio orientalis Novi Foederis est syriaca, *Peschito*, seu litteralis vocitata, et ad textum graecum elucubrata. Parum est elegans, at est fidelis; et hinc magno in pretio habetur. AEtas ejus exacte de-

---

(*l*) *Vulgatam latinam*, parvis nonnullis naevis haud obstantibus, optimam esse versionem, non solummodo patet ex auctoritate Concilii Tridentini, S. Hieronymi, ejus quoad maximam partem auctoris (vel correctoris, atque Catholicorum, verum etiam ex consensu doctissimorum et aequissimorum Acatholicorum. Hos inter *Louis de Dieu*: *Me haud erraturum Arbitror*, inquit, *si Vulgatae auctorem, quicumque ille sit, hominem doctum, immo doctissimum dixero* (*Not in Evang.*)

P. Fagius sciolos ac impudentes adpellat, qui de hac celeberrima versione male loquuntur (*Praef. ad collat. translat. V. T.*).

Drusius Concilium Tridentinum laudat quod Vulgatam sua auctoritate sanciverit (*Ad loca difficilia Pentat.*).

H. Grotius: *Tutissima omnium*, ait, *iis, qui nec hebraïce nec graece didicere, est vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit* (in *Voto pro pace Ecclesiae.*).

Cl. Walton, episcopus anglicanus: *Vulgatum*, inquit, *magni faciendum, et non temere proscindendum, tum propter ejus antiquitatem et usum generalem per Occidentem per mille annos, tum interpretis, quem Hieronymum ex parte cognoscimus, doctrinam et fidelitatem* (*Proleg*, 10. *N.* 14.).

Versio Hieronymiana, ad textum originarium non correcta extat in *Divina Bibliotheca Hieronymi* a Martianaeo edita Parisiis 1693.

terminari haud potest; ast ad finem saeculi II. vel saltem ad initium III. saeculi existebat.

Widmanstadius primam ejus editionem juxta duos codices ab *Ignatio* Patriarcha Alex. anno 1552. ad Julium III. missos procuravit Vindebonae an. 1555. In hac vero editione deerant Epist. II. et III. *Joannis*, *II. Petri*, Epist. *Judae* ac *Apocalypsis*; at ei ex alia recentiore editione syriaca addita sunt in Polyglottis Parisiensibus *D. Le Jay*, et in Londinensibus cl. *Walton*. Optima editio est *Hamburg.* 1664. et 1667. *D. AEgydii Guthier.*

Anno 508. altera celebris versio syriaca juxta textum graecum recensionis *Origenis* sollicite facta est a *Polycarpo*, et *Philoxeno* episcopo syro dicata, et hinc *Philoxenia* dicta fuit. Quatuor Evangelia ex illis typis mandata sunt Oxonii 1778.

Praeter has versiones existunt variae aliae versiones orientales N. F., ut *arabicae*, *persicae*, *armeniacae*, *aethiopicae*, *sclavonicae*, et *gothicae*, quarum aliae e textu originario immediate, aliae mediate fluxerunt (*m*).

DE RELIQUIS VERSIONIBUS OCCIDENTALIBUS.

§ XXXIV.

Versiones Latinae, Italicae et Hispanicae.

608.) Primus, qui novam *versionem latinam* V. et N. F. juxta textum hebraeum et grae-

(*m*) Consule *Kortholt de variis Bibliorum edit.*, *Morin Exercitationes biblic.*, *Simon Hist. Critiq. du V. et du N.*, *T. Lelong Bibliot. sacrée.*

cum elucubravit, fuit *Xantes Pagninus* O. S. D., et bibliothecae vaticanae praefectus. Ejus versio post 25. circiter annorum laborem prodiit Lugduni anno 1527., cum duabus epistolis *Adriani VI.* et *Clementis VII.* editionem permittentium. Versio isthaec est grammaticalis, sed tamen fidelis.

Arias Montanus, sacerdos hispanus, theologiae doctor et eques ordinis S. Jacobi, *Pagnini* versionem correctius edidit Antverpiae 1572.

Isidorus Clarius O. S. B. et dein Episcopus Fulginiensis (de Foligno) versionem vulgatam juxta textum hebraeum et graecum correctam edidit Venetiis 1542., ait, se plusquam 8000. mendorum correxisse. Ejus prologus ac prolegomena Indici romano inserta, et omissa fuerunt in editione anni 1564.

Cl. *Houbigant*, Oratorii presbyter, *Biblia hebraïca* edidit cum versione latina ac notis, Paris 1753. 4. V. F. Conatus est textum hebraeum corrigere juxta regulas critices et textum latinum. Libros S., qui in Canone Judaeorum haud reperiuntur ex graeco idiomate latine reddidit. Adcusatus fuit Houbigant a nonnullis, praesertim relate ad correctionem textus hebraei, hypercriseos, et neglectus antiquarum versionum biblicarum. Verum Benedictus XIV. illum Brevi ac numismate decoravit, et Clerus Gallicanus eum pensione annua donavit.

Cl. *Weitenauer* S. J. Vetus ac Novum Foedus, fontibus originariis consultis, sat pura latinitate edidit an. 1768-1773.

609.) Antiquissima *versio Italica* Bibliorum S. est illa *Jacobi de Voragine* O. S. D., et

archiepiscopi Genuensis, juxta Vulgatam medio saeculo XIII. facta; at haud amplius existit, et nonulli adserunt, eam numquam extitisse.

Antiquissima *versio italica*, quae certo extat, est *Nic. Malhermi* seu *Malherbe* Camald. juxta vulgatam facta et typis mandata Venetiis anno 1471. 2. V. F. sub titulo: *Biblia volgare istoriata.*

Ant. Brucioli anno 1530. aliam *versionem italicam*, Indici romano insertam, juxta textum hebraeum, aut versionem *Pagnini*, et juxta textum graecum confecit. Optima editio est an. 1540. Venet. 3. V. F. et 4. cum Commentariis.

Tudeschi versionem Brucioli correctam edidit annno 1560.

610.) *Cyp. de Valere* loquitur de versione Bibliorum S. in linguam hispanicam circa annum 1420., ut creditur, facta.

Antiquissima *versio hispanica*, quae extat, est *Cassiodori Reyna*, typis mandata in Germania anno 1569.

§. XXXV.

Versiones Gallicae.

611.) Antiquissima *versio gallica*, cujus certa habetur notitia, est illa *Petri Valdo* seu *de Vaux*, capitis haereticorum *Valdensium* dictorum, qui vixit circa annum 1160. aerae vulgaris. Utrum autem nonnulla illius exemplaria in antiquis bibliothecis delitescant ignoratur (*n*).

(*n*) Vide *Le Long*. Bibliothéque Sacrée T. 2.

Antiquissima *Biblia gallica*, quae certo extant, facta sunt a D. *Guyrad des Moulins* sacerdote circa annum 1294.; typis mandata fuerunt Parisiis versus annum 1488. 2. V. F.

Recentiores *versiones gallicae* sunt 1°. illa D. *le Maistre* presbyteri Portus Regii (*Port-Royal*), vulgo nomine *Sacy* noti, juxta Vulgatam concinnata, Paris 1682. etc. 32. V. 8°., cum explicationibus sensus litteralis et spiritualis e SS. Patribus depromptis. Maxima autem earum pars facta est a DD. *Du Fossé*, *Huré*, et *Le Tourneux*. Haec versio a D. *Beaubrun* correcta prodiit Paris 1717. 3. V. F. Adjectum fuit V. 4. continens libros apocryphos V. F., scripta temporis apostolici, praefationes hieronymianas, dissertationes in Scripturam S. etc.

Versio D. *Sacy* in nonnullis recognita cum Vulgatae textu latino adhibita fuit a cl. *Augustino Calmet* O. S. B. in doctis suis Commentariis in sensum litteralem Scripturae S., Paris 1707-1716. 24. V. 4°. Ejus eruditissimae Dissertationes et Praefationes Commentariis insertae, quae meliorem eorum partem constituunt, cum novemdecim dissertationibus novis, separatim typis mandatae fuerunt, Paris 1720. 2. V. 4°.

Cl. Calmet in suis Commentariis et Dissertationibus, ut et in Dictionario Biblico, eruditionis causa plures difficultates ab inimicis Christi verae religionis obiectas refert, quas crebro aut nullatenus aut obiter tantum solvit; quare Deistae ultimorum temporum ex operibus cl. Calmet frequenter arma adversus Libros S. deprompserunt, difficultatum solutionibus, quando aderant, dolose relictis.

Hoc equidem vir eruditissimus haud praevidit; at optandum esset, ut numquam difficultates adversus Libros S. retulisset, quin eas solide solveret.

D. *Rondet* Commentaria cl. Calmet abbreviata edidit, Paris 1748-1750. 14. V. 4°. sub titulo: *Sainte Bible en latin et en français, avec des notes, des prefaces, et des dissertations.* Opus hoc passim vocatur *La Bible de l'abbé de Vence,* cujus dumtaxat aliquae dissertationes in eo extant. Dissertationes ac Praefationes cl. *Calmet* in illo integrae servatae sunt, sed identidem sunt recognitae, correctae et auctae. Commentaria cl. *Calmet* in parvas notas redacta sunt, quae comitantur *Paraphrasin gallicam P. De Carièrres.* D. *Rondet* novam hujus operis recogniti et aucti editionem procuravit, Avignon 1763-1773. 17. V. 4°.

2°. Versionem D. *Sacy* sequitur versio, seu potius *Paraphrasis,* gallica *P. De Carièrres*, sacerdotis Congregationis Oratorii. In hac versione commentarius litteralis gallicus ipsi versioni D. *Sacy* insertus est, textusque latinus Vulgatae in margine collocatus est. Paris 1701-1716. 24. V. 12°. Nova illius editio cum chartis geographicis ac imaginibus prodiit 1750. 6. V. 4°.

3°. *Houbigant*, sacerdos Oratorii, procuravit versionem gallicam Veteris ac Novi Foederis. Conf. N. 608.

4°. Novum Testamentum gallice versum fuit, notisque illustratum, a P. *Amelotte*, presbytero Oratorii, an. 1666-1670. 3. V. 8. Haec versio deinceps saepius typis mandata fuit, est litteralis sed parum elegans.

Novum Testamentum gallicum, vulgo *de Mons* dictum, et anno 1665. typis commissum, primum auctorem habuit *Ant. Le Maistre*, dein vero ab *Ant Arnaud*, *et le Maistre Sacy* recognitum fuit. Praecipui autem auctores editionis *Novi Testamenti de Mons*, quale extat, sunt *Ant. Arnaud*, *Pet. Nicole*, *et Claud. de Sainte-Marie*. Proscripta fuit haec versio a *Clemente IX*. anno 1668., et ab *Innocentio XI*. anno 1679. Versio haec saepius recusa fuit, et a nonnullis in aliquibus locis, in iis potissimum ob quae proscripta fuerat, recognita fuit. Versio Gallica, quae comitatur reflexiones P. *Quesnel*, quoad substantiam est illa *de Mons*.

P. *Bouhours* S. J. anno 1697. *versionem gallicam* Novi Testamenti edidit, Paris 1697-1703. 2. V. 12. Eam composuerat adjuvantibus PP. *Mich. Tellier*, *et Pet. Besnier* ejusdem Societatis. Versio isthaec aliquantulum ubscura est. P. *Lallemant* S. J. hanc translationem adoptavit in suis reflexionibus moralibus in Novum Testamentum, Paris 1713-1725. 12. V. 12°.

Simon Richard, versionem gallicam Novi Testamenti elucubravit, et notis litteralibus ac criticis illustravit, Trevoux 1702. 4. V. 8°., quae proscripta fuit a *Cardinale de Noailles*, archiepiscopo Parisiensi, et cl. *Bossuet*, episcopo Meldensi.

Extat adhuc *a*) versio gallica Novi Testamenti a P. *Martianay* O. S. B. confecta, atque notis ac explicationibus litteralibus illustrata, quarum multae haud exactae visae sunt, Paris 1712. 3. V. 12°.

b) *Ant. Godeau*, episcopi Vinciensis (de

Vence), versio gallica Novi Testamenti, Paris 1668. 2. V. 8°. Haec versio medium tenet inter paraphrasim ac translationem.

5°. P. *Berthier* S. J. conscripsit *a*) *Les Pseaumes traduits en français avec des notes et des reflexions*, Paris 1785. 8. V. 12. *b*) versionem gallicam Isaïae, Paris 1789. 5. V. 12.

Ludovicus de Poix, discipulus *Guilielmi de Villefroi* O. C. cum PP. *Hiero. d'Arras, et Seraphino de Paris* ejusdem Ordinis, Parisiis gallice vertit *Ecclesiasten*, 1771:, *Prophetias Habacuc, Jeremiae et Baruch*, 1780. 6. V. 12:, atque *Psalmos*. Versiones horum trium operum juxta textum hebraeum exactae sunt.

Cl. *Contant de la Molette*, Vicarius Generalis Viennae in Gallia, versus finem saeculi XVIII. varia opera eruditissima in Libros S. *gallice* edidit, quae sunt I.: *La Genèse expliquée d'après les textes primitifs*, Paris 1777. 3. V. 12. II. *L'Exode expliqué d'après les textes primitifs*, ibidem 1780. 3. vol. 12. III. *Le Levitique expliqué d'après les textes primitifs*, ibidem 1785. 2. V. 12. IV. *Les Pseaumes expliqués d'après l'hebreu, le chaldéen, le syriaque, l'arabe, l'éthiopien, l'armenien, le grec et le latin*, ibidem 1781. 3. V. 12.

§. XXXVI.

Versiones Germanicae.

612.) Antiquissima *versio gothica*, seu *teutonica*, confecta est ab *Ulphila*, episcopo Gothorum versus annum 360. aerae vulgaris (*o*),

---

(*o*) *Socrates Hist. Eccles. Lib.* 4. C. 33. *Sozomenus Hist. Eccles. Lib.* 3. *C.* 37. *Philostorg. Lib.* 2. *C.* 5.

qui tamen libros Regum haud interpretatus est: Diu creditum fuit, de hac antiqua versione non extare nisi *quatuor Evangelia*, lacunis referta, quae anno 1665. cura *Fr. Junii* et *Th. Mareschali* typis mandata fuerunt *Dordraci* 4. juxta exemplar *codicis argentei* (characteribus argenteis scripti) in abbatia de *Werden* prope Coloniam Agrippinam reperti, et in bibliotheca *Upsalae* (d'Upsal) modo extantis; at abhinc aliquibus annis in *bibliotheca Guelpherbytana* (de Wolfenbütel) detectum fuit fragmentum illius versionis partem *Epistolae ad Romanos* referens. *D. Knitel*, archidiaconus Guelpherbytanus hoc fragmentum praelo commisit. Quatuor Evangelia versionis Ulphilae typis recusae fuerunt Lipsiae 1805. 4°. cura *Christoph. Zahn.*

Antiquiora *biblia germanica* typis mandata annum editionis non exhibent, nisi calamo notatum. Antiquissima versio germanica, cujus annus typographicus probe notus, est illa Norimbergae an. 1477., et Augustae Vindelicorum an. 1477.

Plures versiones germanicae ante et post Concilium Tridentinum prodierunt. Inter recentiores sunt illae *P. Cartier* an. 1748., *P. Weitenauer* an. 1781-1783., *D. Braun* an. 1788., *D. Fischer* an. 1784. et cl. *de Brentano* an. 1797. etc. Ejus opus eruditissimis commentariis illustratum a cl. *Th. A. Dereser* continuatur.

Cl. Bonif. Mart. Schnappinger editionem germanicam Novi Testamenti cum eruditissimis commentariis edidit an. 1800, alteram auctam an. 1808., et 3. adhuc auctiorem parat hoc anno 1817.

Versiones danicae, suecae, russicae, polonicae, bohemicae, anglo-saxonicae et *anglicae*, haud adeo recentes videri possunt apud cl. *Calmet* (*p*), *Le Long* (*q*) *et Du Pin.* (*r*) *

(*p*) *Dict. de la Bible.*
(*q*) *Bibliothéque sacrée.*
(*r*) *Dissert. Prélimin. sur la Bible. Liv.* 1. *C.* 9.

*) *NOTA EDITORIS.*

VERSIO BIBLIORUM SLAVICA ALIAEQUE LINGUARUM AEFINIUM.

Et 1. *Slavicae.*

Vix est aliqua natio quae tantopere versione librorum sacrorum indigebat, quam Slavi, qui recepta religione christiana, patrio sermone, annuente Joanne VIII. Pontifice, cultum divinum celebrabant, suamque Liturgiam habebant: ideoque primi ipsorum Apostolis Cyrillus et Methodius slavonicam versionem librorum in liturgia prae ceteris necessariorum uti psalmorum, totiusque Novi Testamenti, Apocalypsi excepta, circa an. 870. praepararunt: quo autem tempore, et quibus auctoribus versio Apocalypseos, librorumque Veteris Testamenti sit facta, lis adhuc sub judice est. Hoc tamen certum: versionem hanc totam, libris duntaxat Tobiae, Judith, et tertio Machabaeorum exceptis, ex graece fonte promanasse.

Hujus versionis, post anteriores quorundam librorum, princeps integrorum Bibliorum editio prodiit 1581 Ostrogi in Volhynia curante Joanne Theodoride. Editio haec facta est ad codices Moscovienses, quos Constantinus dux Ostrogensis a Magno Duce Joanne Basilide impetravit. Ad hanc, paucis immutatis factae sunt editiones recentiores, quarum praecipuae sunt 1663. Moscoviae, 1717. Amstelodami dedicata Imperatori Petro M. et 1751 Petropoli.

2. *Polonicae Versiones.*

In Polonia quanquam religio christiana jam a saeculo X. vigebat, utrum tamen versio quae Bibliorum, praeter psalterium Hedvigis reginae, ante saeculum XIV. extiterit, nondum est evictum. Ex iis autem de quibus constat, antiquissima est illa, cujus codex oppido Hungariae Saros-patak invenitur, hortante Sophia

§. XXXVII.

Versiones Belgicae.

613.) Versiones Bibliorum S. in *linguam belgicam* sunt antiquissimae, Biblia autem belgica anno 1548. anteriora nomen interpretis generatim non exhibent. *Nicolaus van Winghe*

---

matre Casimiri IV. ab Andrea de Jaszowic facta, quae tamen nunquam est typis vulgata. Ad typographica incunabula Bibliorum polonicorum pertinent editiones Psalterii, quod inscriptum Zołtarz interprete Valentino Wrobel prodiit Cracoviae 1539, 1540 et 1543. atque rithmis concinnatum auctore Nicolao Rey circa an. 1555. ibidem. Integrorum Bibliorum versiones polonicae catholicae duae tantum extant, una vulgo Joannis Leopolitae dicta, altera autem Jacobi Wuiek, utràque ad textum latinae vulgatae. Quis autem prioris illius auctor fuerit, utrum Leonardus Ordinis Praedicatorum Sigismundi I. Confessarius, ut quidam volunt, an ipse Joannes Leopolita, cujus nomen praesefert, an vero alius quis, certo nondum constat. Joannes Leopolita, ut ex praefatione patet, invitante editore Nicolao Scharfenbergero illum emendavit. Cum haec autem non fuerit communi voto recepta, vergente saeculo XVI. Jacobus Wujek S. J. hebraïcae, graecae et latinae linguae peritus, ab Archiepiscopo Gnesnensi Karncovio invitatus, novam versionem utriusque Foederis, fidelem ad textum latinae vulgatae, adhibitis saepe in subsidium fontibus, adornavit: quae a Clemente VIII. approbata canonicam in Ecclesia cotholica totius Poloniae auctoritatem obtinuit.

Hujus versionis Novum Testamentum docta praefatione et brevibus notis instructum, ipse Wujek primum edidit Cracoviae 1593. Deinde cura atque impensis Archiepiscopi Karncovii princeps integrorum Bibliorum editio parata est Cracoviae 1599. apparatu sacro, brevibus notis ad marginem, uberioribus vero ad calcem capitum ornata: quae postea saepius, adjecto nonnunquam textu latino, repetita fuit.

Acatholicorum versiones Polonicae vulgo sex numerantur, pro diversitate confessionum in quarum usum, et interpretum, a quibus sunt factae diversae.

anno 1548. *versionem belgicam* edidit, et in praefatione ait, se usum esse Bibliis *flandrice* praelo mandatis in Hollandia anno 1478.

Biblia *Nic. van Winghe* a Doctoribus Lovaniensibus correcta prodierunt Antwerpiae 1599., ac dein saepius recusa fuerunt.

Protestantes Belgii ab initio suae praetensae reformationis non habuerunt nisi versio-

---

I. Versio Novi Testamenti a Joanne Secluciano Augustanae Confessioni addicto concinnata, post anteriores quorumdam librorum, integra edita est Regiomonti 1554.

II. Biblia Radziwiliana, a N. Radziwił, quo favente sumptusque impendente prodierunt, dicta Pinczoviensia quoque ideo quod Pinczoviae, a variis auctoribus, qui primum Augustanae Confessioni adhaerebant, postea vero in partes Fausti Socini transierunt, sunt translata, Brestensia denique a loco editionis appellata. Versio haec facta e fontibus hebraïcis et graecis, cura Bernardi Wojewodka Bresciae 1563. fuit impressa; commendaturque puritate linguae Polonicae. Exemplaria illius admodum sunt rara.

III. Simon Budny Socinianorum Placitorum sectator, versionem Bibliorum pariter ex originalibus textibus praeparavit, ediditque Vetus Testamentum Zaslaviae 1572. novum autem Losci, Polonice *Łosk* oppidum in districtu Oszmianensi.

IV. Alia Novi Testamenti versio a Martino Czechowicz eorundem Socinianorum assecla profecta, prodiit Racoviae 1577. ob notas marginales detestenda.

V. Ad versiones Novi Testamenti Socinianorum pertinet illa quoque, quae Valentino Smalcio tribuitur, quaeque Racoviae 1606. et iterum 1620. est impressa.

VI. Paulus Paliurus denique (1593-1632.) Helveticae Confessionis, pro textu fundamentali adhibita Brestensi, collatisque fontibus, editionem aut priorem recensuit, aut novam fecit; quae primum Gedani 1632. est impressa, postea vero in usum Protestantium saepius fuit recusa. Haec quoque Radziwiliana appellatur, quia a Christophoro Radziwił nomine Evangelico-reformatae confessionis Vladislao IV. dedicata fuit.

5. *Lithvanicae.*

Versiones Scripturae S. fere omnes prodierunt a pro-

nem belgicam juxta versionem germanicam *Lutheri* peractam; sed anno 1613. Dordraci in nationali synodo sanxerunt, ut nova versio belgica juxta textum originarium concinnaretur, quae anno 1637. primum in lucem prodiit.

Librorum S. versionem belgicam edidit Ultrajecti anno 1717. *AEgidius de Wit* presbyter de numero Adpellantium. Versio haec est clara ac perspicua, at liberior et inexacta.

---

testantibus Augustanae vel helveticae confessionis. Primae versionis Lithvanicae totius Scripturae S. (1563-1587.) fuit author Joannes Bretkunas Pastor Regiomontanus; quae an. 1816. et 1824. a Societate Biblica revisa denuo est edita. Secunda authore Samuele Boguslao Chyliński brevibus introductionibus in quemlibet librum, locisqne parallelis in margine instructa prodiit Londini 1660. impensis Evangelico-reformatorum, Kaunae, Kieydanis et Vilnae habitantium, curante maxime Stanislao Radziwił, opus admodum rarum. Tertia Novi Testamenti 1701. Regiomonti, cura superintendentis Bithneri: illius authores dialectum Lithvanicam cum Samogitica conciliare satagebant, versionemque obscuram reddiderunt. Quarta opera Joannis Jacobi Quandt superintendentis, sumptibus Friderici Wilhelmi I. (1727-1735.) Regiomonti, quae denuo emendatior 1765. est recusa.

Catholica versio Lithvanica post anteriores pericoparum quae in Ecclesia leguntur, Novi Testamenti authore Principe Iosepho Arnulpho Giedroyć Episcopo Samogitiensi primum an. 1816. Vilnae lucem aspexit.

4. *Versio Lettica seu Lotavica.*

Post anteriores quarundam partium, totius Scripturae S. hortante Joanne Fischero superintendente, interprete vero Ernesto Glück prodiit (1685-1689.) Rigae, impressa sumptibus Caroli XI. postea repetita 1739. Regiomonti et 1795. Rigae. Est in usu non solum Ecclesiasticorum verum etiam populi in Curonia Livoniaque.

Uberior notitia de Versionibus Lithuanis et Letticis invenitur in oppere Petri Köppen translato in polonicum sermonem, impresso *Dziennik Wileński* 1828. Tom. 5.

Versionem belgicam stilo eleganti ac perspicuo concinnatam procurarunt *Andreas van der Schuur* sacerdos Adpellans, ejusque continuatores Adpellantes, Ultrajecti anno 1732. Versio haec saepius, Vulgata neglecta, sequitur textum hebraeum.

Maximam partem Librorum S. V. F. juxta latinum textum Vulgatae eleganti *idiomate belgico* perspicue reddidit *Wilhelmus Smits* O. Min. Recol., anno 1704. in *Kevelaer* vico provinciae Gueldriae natus, et anno 1770. Antverpiae defunctus. Addidit eruditissima prolegomena, sed prolixa, dissertationes, et notas criticas, litterales ac grammaticales atque chartas geographicas et icones. *P. Van Hove* ejusdem Ordinis egregium hoc opus continuavit. Libri S. a PP. Smits et Van Hove belgice redditi sunt: *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Cant.* *Sapientia et Ecclesiasticus*, simul 21. vol. 8°. Antverpiae 1744. et sequentibus.

§. XXXVIII.

Textus primitivi versionumque usus in studio Vulgatae.

614.) Qui in profundiori Scripturae S. studio versionem Vulgatam adhibet, ad textum primitivum, et ad veteres versiones praesertim e textu originario *immediate* emanatas recurrat necesse est, 1°. quando Vulgatae sensus est obscurus aut ambiguus, 2°. quando sensus Scriptoris S. sub idiotismo vel proverbio orientali latet, 3. quando de amanuensium vel typographorum mendis suspicio oritur, 4°.

quando voces textus primitivi in Vulgata occurrunt, 5°. quando significatio nominum propriorum loco horum nominum posita est ut *Prov.* 30, 1. (Conf. N. 296.), et 6°. quando Vulgata debitam vim non habet.

615.) Versiones omnes *immediatae*, antiquae et recentes, testantur quomodo earum auctores textum originarium suo aevo habuerint, ac intellexerint.

Auctoritatem magnam habent illae versiones antiquae, quae e textu primitivo, hebraeo, chaldaïco, et graeco, a viris harum linguarum probe gnaris eo tempore, quo linguae istae adhuc vigebant, *immediate* ac sollicite confectae sunt. Litterales versiones immediatae caeteris praestant, cum exhibeant quomodo Interpretes textum originarium suo tempore invenerint, litteraliter reddiderint, quasque lectiones e variantibus secuti sint. Versiones *immediatas* praeminere mediatis per se liquet.

Praestantiores igitur versiones in usu Vulgatae adhibendae sunt 1°. *Versio Alexandrina*, LXX. Interpretum vocata (N. 589-591.), cui addenda sunt fragmenta *Aquilae*, *Theodotionis et Symmachi* (N. 592-594.), 2°. *versio samaritana* Pentateuchi (N. 599.), et imprimis ipse *Pentateuchus Samaritanus* (N. 585-586.), 3°. *Paraphrases chaldaïcae Onkeli, et Jonathae* attributae (N. 597.), 4°. versio syriaca *Peschito* (N. 598. et 607.), aliaeque versiones quas suo loco e textu primitivo immediate fluxisse diximus. Versiones vero antiquas praestare recentibus ex eo patet, quod textus originarius antiquitus paucioribus mendis quam modo laborabat.

Atque haec de Textu Primitivo, variisque

Versionibus Librorum S. sufficiant. Finem Hermeneuticae S. impossituri paucis de Scripturae S. sensibus, criteriisque interpretationis agemus.

CAPUT IV.

DE LIBRORUM S. SENSIBUS, ET CRITERIIS EXEGETICIS SEU REGULIS INTERPRETATIONIS.

SECTIO I.

DE SENSIBUS SCRIPTURAE S.

§. I.

De Sensibus Scripturae S. generatim.

616.) *Verba* sunt *signa cogitationum*; hinc verbis insunt cogitationes, seu rerum conceptus. Quum vero connexio conceptuum cum verbis a mente loquentis dependeat, sequitur, sensum in genere esse *conceptum auctoris*, seu *id quod sentit auctor.*

Hinc sensus Scripturae S. *est ille conceptus rerum, quem Scriptores S. in mente habuerunt, vel quem Spiritus S. per verba Scriptorum S. intendit.*

Cum vero verba non semper in *propria*, sed etiam in *metaphorica* seu *tropica significatione* accipiantur, liquet sensum litteralem esse duplicem, *proprium* nempe, quem verba *propria et obvia significatione* constituunt, et *metaphoricum seu tropicum*, quem verba ad alienam significationem translata ef-

ficiunt. Sic Christus sensu metaphorico dicitur *sedere ad dextram Patris*.

Cum sensu metaphorico seu tropico similitudinem habet *sensus mysticus seu typicus*; quemadmodum enim prior inest *verbis metaphoricis seu tropicis*, ita hic inest *rebus* sensu litterali vel tropico expressis.

Quare *sensus mysticus est*, *qui rei verbis expressae* inest, tamquam imagini seu τυπω = *typo*; hinc res, quae est imago alterius τυπος = *typus* audit: occurrit hic sensus haud infrequenter in Scriptoribus S. N. F., ut *Matth.* 2, 15. coll. cum *Oseae* 11, 1. *I. Cor.* 9, 8-9. coll. cum *Deut.* 25, 4.

§. II.

subdivisio sensus mystici.

617.) Subdividi solet sensus mysticus pro diversitate rerum, quibus res in Libris S. sensu litterali vel metaphorico relatae adplicantur, in *sensum mysticum allegoricum*, *moralem seu tropologicum*, *et anagogicum*.

Habetur sensus mysticus allegoricus, quando aliquid e Veteri Foedere explicatur de Christo, de Ecclesia militante, vel de aliqua veritate Novi Foederis, adest sensus mysticus moralis seu tropologicus, dum aliquid e Veteri vel Novo Testamento ad mores refertur, et anagogicus, cum quid refertur ad vitam futuram. *Cassianus* exempli gratia ponit urbem *Jerusalem*, quam ait, *litteraliter* significare metropolim Judaeae, *allegorice* Ecclesiam Christi, *tropologice* animam hominis, et *anagogice* civitatem coelestem seu Ecclesiam triumphantem.

Origenes in Scriptura S. tres sensus distinxit, *sensum litteralem* nempe, *moralem et spiritualem*. Idem faciunt *Hieronymus*, (*s*) *Cyrillus et Gregorius*. In sensu litterali seu historico res ut evenit explicatur, in morali ad mores refertur quod inter Judaeos historice evenit, et in sensu spiritualiter terrenis relictis omnia ad futuram vitam referuntur. *S. Augustinus* primus ex Patribus quatuor praefatos sensus distinxit (*t*), quem dein plures secuti sunt.

Solebant veteres *sensum litteralem, allegoricum, moralem et anagogicum* hisce versibus exprimere:

Littera gesta docet, quid credas allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

§. III.
De duplici sensu litterali.

618.) Antiquiores Interpretes, qui regulas Exegeseos ex ipso stilo Prophetarum desumebant, quibusdam in vaticiniis *duplicem sensum litteralem* admiserunt. Cum autem imperiti Interpretes hunc duplicem sensum latius extenderent, sensus hic suspectus fieri coepit ac dein a nonnullis rejectus fuit.

Cum porro eadem vox, idem signum, duo simul indicare possit, consuetudine humana vocibus et signis quandoque plures signifacationes tribuente, liquet possibile esse, ut eodem in vaticinio, seu in eodem textu, duplex detur sensus, et quidem litteralis. Pro-

(*s*) *Hieron. Epist. ad Hidibiam.*
(*t*) *August. Genes. ad litter. L.* 1.

fecto campanae sonitus et hostium adventum, et incendium simul significare potest, si hostes et incendium simul adsunt, quemadmodum vox hebraïca *Nephilim*, quae gigantem et depraedatorem significat, exprimere posset utrumque simul, si gigas simul depraedator esset.

Porro duplicem sensum litteralem quandoque in vaticiniis esse patet, quod Prophetae aliquando sensum vaticiniorum a Deo illis inspiratorum haud intellexerint, proinde alia cogitaverint quam Deus intendebat. Deum autem hoc in casu sermonem Prophetae tali modo conformasse, ut praeter sensum, quem Propheta in mente habebat, alium sublimiorem sensum exprimeret, nemo inficias ibit.

§. IV.

De sensu mystico seu typico.

619.) *Sensum mysticum vel typicum* ceu verum sensum in sensu litterali tamquam in typo seu imagine quandoque reperiri, probant Scriptores S. N. F., qui textus V. F. alio in sensu de Christo etc. adlegant. Sensus iste mysticus ab exorbitantibus. Interpretibus nimium extensus fuit; quare aliquibus suspectus factus, tandem a nonnullis in Germania rejectus fuit, habitusque est pro mera adplicatione rei praeterlapsae ad aliam propter analogiam, quae inter illas intercessisset.

At sensum mysticum ut meram adplicationem propter analogiam haberi non posse, evincitur, quod Scriptores S. N. F., praesertim Matthaeus, textus V. F. in alio sensu de Christo adlegantes, ad illos provocent tam-

quam *ad probationes* eorum, quae dicunt.

Hallucinati sunt graviter ii Exegetae, qui *cuivis sensui litterali sensum mysticum* subesse rati, commentaria sua sensibus mysticis arbitrariis impleruut; atque ita Theologi nonnulli in studio Scripturae S. haud versati, hisce Interpretibus consultis, quandoque argumenta hujusmodi sensus mystici adversus Incredulos et Acatholicos strinxerunt, quae nihil probabant, ac plus mali quam boni egerunt, cum inimici nostrae religionis sibi ita persuadeant, Catholicos hujusmodi argumentis fidem suam superstruere.

D. Paulus I. Cor. 10, 6, 11. equidem ait: *Haec autem in figura facta sunt nostri .... Haec autem omnia in figura contingebant illis;* at absolute minime dicit, omnia quae contigerunt apud Hebraeos fuisse *typos*, cum quae dicit restringat per vocem *haec*.

Non minus a vero aberrarunt illi, qui opinionem in scholis Judaeorum, et ex exaggerato conceptu de Scriptura S. natam secuti, quod nempe *verba Scripturae S. tantum significent quantum possunt*, arbitrati sunt, *inter plures sensus litterales vel mysticos possibiles nobiliorem sensum tenendum esse*. Attendenti enim patet, ita viam pandi Scripturam S. quibuscumque sensibus, mysteriis, vaticiniis et allegoriis arbitrariis implendi, plusque mali Ecclesiae Christi praestandi quam boni, cum Increduli et Acatholici hujusmodi arbitrarias expositiones explodant.

§. V.

De sensu accommodatitio.

620.) Sensum hunc verum Scripturae S. sensum non esse, ipsa ejus denominatio probat. Verba vero Scripturae S. in alio sensu rebus piis adplicari posse, exemplum Scriptorum S. N. F., et consuetudo primorum Patrum Ecclesiae evincunt. Oportet autem, ut sensus accommodatitius contineatur in sensu litterali Scripturae S. tamquam pars in toto, vel ut species in genere, vel tamquam connotatum. Generatim vero sequentes tres regulae observandae sunt.

I°. Sensus accommodatitius textui litterali falsum sensum non attribuat.

II°. Non praeponatur sensui litterali, ut monet *S. Hieronymus* (*u*).

III°. Adplicetur rebus piis.

S. Hieronymus de iis, qui textus Scripturae S. temere a suo contextu avellunt, atque iis ita abutuntur ait: *Si forte ad Scripturas Sacras post saeculares litteras venerint, et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint legem Dei putant; nec scire dignantur quid Prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua, appetunt testimonia: quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam trahere Scripturam repugnantem* (*v*).

(*u*) *Hier. Epist. ad Paulinum.*
(*v*) *Hieron. Prolog. Galeat.*

SECTIO II.

De Criteriis seu rgulis Exegeticis.

§. VI.

Praeliminaria.

621.) Scriptura Sacra licet divina sit, ab hominibus tamen et pro hominibus exarata est. Ejus libri, vetustissimi praesertim, abhinc multis annorum millibus per Scriptores S. lingua, patria, moribus et quandoque idiotismis a nobis distinctos, confecti sunt, quare illam crebro obscuram esse nemo mirabitur; hinc ad illius genuinum sensum investigandum *criteria* quaedam, seu *regulas* directrices, necessaria esse per se liquet. Cum vero in studio tanti momenti imprimis ab erroribus cavendum sit, sequitur, Interpretem christianum imprimis criteria, seu regulas, immunitatem ab erroribus praestantia, dein vero regulas, quarum ope verum Scripturae sensum inveniat, prae oculis habere debere; quare primum *criteria generalia*, dein vero *particularia* sensus litteralis trademus.

§. VII.

Criteria exegetica generalia, seu Regulae generales interpretationis.

Regula 1.

622.) In interpretatione Scripturae S. *explicatio Ecclesiae sequenda est* (*x*); cum enim Christi Ecclesiae Librorum S. intelligen-

---

(*x*) *Conc. Trid. Sess. 4. C. 4.*

tia credita sit, et non soli rationi, cui multa sunt impervia, explicationem Ecclesiae privatis nostris conceptibus praeponere debemus: *Necesse est*, ait Vincentius Lirinensis, *propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetiae et apostolicae traditionis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.* Quaelibet interpretatio Scripturae S., quae cum spiritu traditionis apostolicae non incipit, et ubique non coincidit, semetipsam destruit, et Scripturam S. depravat.

§. VIII.

Regula II.

623.) *Consensui unanimi Patrum Ecclesiae in rebus fidei et morum est adhaerendum*; quando enim Patres in rebus dogmaticis et moralibus sunt unanimes, nobis sistunt fidem Ecclesiae Catholicae, quae in hisce materiis errare haud potest. Hinc Concilium Tridentinum: *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat* (y).

(y) *Conc. Trid. Sess.* 4. *C.* 2.

§. IX.

Regula III.

624.) *Observanda est analogia fidei sive doctrinae*, id est consensus cum veritatibus in variis Libris S. contentis; cum enim omnis doctrina Librorum S. a Deo proficiscatur, et unum totum constituat, inter ejus partes mutuus consensus sit oportet; quare si qui textus cum veritatibus alibi clare contentis pugnare videantur, ita exponendi sunt, ut cum his consentiant. Juxta hanc regulam scimus ex *Ezechielis* 18, 20-30., et *Isaiae* 1, 16-18., non dari peccatum irremissibile, licet *Matthaei* 12, 32. legatur: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro*, sensumque Matthaei ex contextu esse, blasphemiam Pharisaeorum, Christi opera manifeste divina daemoni adscribentium, peccatum esse, quod prodit animum tam malignum, tamque incorrigibilem, ut in hac et in altera vita ob perseverantiam malitiae gravissimae puniendum sit.

§. X.

Criteria exegetica particularia, seu Regulae particulares Interpretationis sensus litteralis.

Regula I.

625.) In indagando sensu litterali, qui cuivis textui subest, interpres *sacrum textum, ejusque contextum sedulo expendat*, id est non dumtaxat *singulas voces et phrases*, sed etiam *quae textum antecedunt ac consequun-*

tur perpendat; cum enim Sacer Scriptor *antecedentia et consequentia* cum textu in sua mente conjungat, haec attendi debent, ad ejus mentem rite cognoscendam. Sic vox *infernus* modo in Scriptura S. sumitur pro *sepulchro* aut *morte*, ut *Gen.* 37, *35. Job. 21, 13. Ps.* 9, *18. Ps. 54, 16.*, et modo pro *loco supplicii damnatorum*, ut *Luc. 16, 22-23. II. Pet. 2, 4.* etc., genuina vero ejus significatio ex contextu colligitur. Ita pariter ex contextu intelligitur, S. Paulum I. Cor. 3, 14-15. adhibere symbolum architecti domus, cujus fundamentis haud solide superaedificans, per ignem transire debet ad vitam servandam, cum domus igne corripitur.

§. XI.

Regula. II.

626.) *Scopus libri ejusque partium diligenter investigandus est.* Si enim finis seu scopus, ad quem res referuntur, innotescit, facile res ipsae patescunt. Sic perspecto fine *allegoriarum et parabolarum* earum sensus facilius innotescit, ut Matth. 13, 3. etc., ubi Christus diversam divinae suae doctrinae sortem ob diversam auditorum dispositionem parabola seminantis exponit.

§. XII.

Regula III.

627.) *Adjuncta personae scribentis, objecti, temporis, loci et occasionis perpendenda sunt.* Videndum scilicet, quaenam sit indoles Scriptoris S., retinendum scriptores U-

triusque Foederis esse Hebraeos, qui Vetus Foedus quasi totum hebraïce, et Novum Testamentum fere totum graece verba hebraïca modosque particulares loquendi aliquando adhibentes, conscripserunt, qui consequenter hinc inde habent *hebraïsmos*, quibus voces graecae et latinae, per quas redditi sunt, non exacte quandoque respondent (*z*). Observan-

---

(*z*) *Sic* 1. Hebraei carentes *comparativo*, vel ejus loco ponunt *positivum*, ut Ps. 117, 8: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, pro: Melius est confidere in Domino etc., vel quod praeferendum est adfirmant, et quod rejiciendnm negant, ut Oseae 6, 6. et Matth. 9, 13. *Misericordiam volo et non sacrificium*, pro: Misericordiam malo quam sacrificium, vel antithesin adhibent, ut Malachiae 1, 2-3: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui*, pro: Dilexi Jacob, Esau autem minus amavi.

2. Cum lingua hebraïca destituatur *superlativo*, Hebraei ejus loco adhibent vel *nomen abstractum*, ut *sanctitas* pro sanctissimo, vel nomen concretum repetunt, ut *sanctum sanctorum*, pro sanctissimo, vel adjiciunt substantivum, ut Coloss. 3, 14: *Vinculum perfectionis*, pro vinculo perfectissimo.

3. Hebraei non habent, ut Galli, *casus nominum*, quare in versionibus quandoque unus casus pro altero ponitur.

4. Vox *semper*, *aeternum* αἰωνιος, hebraice *holam*, non continuo aeternitatem absolutam significat, sed crebro durationem diuturnam indeterminatam, uti etiam in aliis linguis, v. g. Ecclesiastis 1, 4: *Terra in aeternum stat.*

6. Hebraei saepe *imperativo* aut *optativo* utuntur loco *futuri*, ut Oseae 14, 1: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et faetae ejus discindantur*, pro: Peribit Samaria... in gladio peribunt, parvuli eorum elidentur, et faetae ejus discindentur.

6. Hebraei non raro *praeteritum* loco *praesentis* adhibent, ut Ps. 115, 10: *Credidi, propter quod locutus sum*, pro: Credo ideo loquor.

dum pariter est, utrum Scriptor Sacer suo aut alterius nomine loquatur, vel alios loquentes inducat.

Exploranda sunt quae spectant personam vel rem de qua agitur. Habenda est ratio temporis, quo res contigit vel scripta est, et quo in loco, et qua occasione. Sic plures Psalmi facilius intelliguntur, si attenditur ad tempus et ad locum, quo exarati fuerunt, quo res quae in iis dicuntur contigerunt, atque ad facta, quae ipsis occasionem praebuerunt.

§. XIII.

Regula IV.

628.) *Loca Parallela consulenda sunt*, id est, loca similia Scripturae S. adeunda sunt, ut ex eorum collatione textus obscurus explicetur, aut dubius elucidetur. Differt autem

---

7. Hebraei loco *idearum abstractarum* saepe utuntur *anthropopatis*, Deumque quandoque tropice exhibent, humano modo agentem, ut Genes. 6, 6-7: *Poenituit eum* (Deum) *quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terrae.* Conf. Genes. 1, 3. 11, 5-7.

8. *Bona ac prospera Deo frequenter immediate adscribunt*, eoquod Deus est auctor naturae, atque omittunt causas naturales ac intermedias, licet ipsis probe notas, ut Job. 10. 8: *Manus tuae fecerunt me. et plasmaverunt me totum in circuitu*, Ps. 103, 13-14: *Rigans montes de superioribus suis ... Producens foenum jumentis.* Conf. Matth. 6, 26.

9. Hebraei *mala pariter Deo immediate quandoque attribuunt*, eorumque causas naturales, quamvis eis probe cognitas, praetermittunt, ut Amos 3, 6: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*? Conf. Isaiae 31, 1-2. 45, 7., per haec vero indicant, mala juxta ordinem a Deo in hoc mundo statutum evenire,

parallelismus ab analogia fidei, eoquod parallelismus non de fidei integritate, sed de textus aut vocis genuino sensu agit. Sic ex collatione locorum parallelorum *Luc.* 4, 5. Matth. 17, 1. 20, 17. 24, 40. Cum *Matth.* 4, 5, 8., liquet vocem παραλαμβανει = *assumpsit* Matth. 4, 5, 8. significare *duxit* (Conf. N. 546.).

§. XIV.

Regula V.

629.) *Adparentes antilogiae conciliandae sunt,* id est loca, quae sibi contradictoria esse videntur, secum conciliari debent. Istae adparentes antilogiae oriuntur aut ex versionum discrepantia a fontibus, aut ex idiotismis, hebraïsmis et graecismis in versione relictis, et a consuetudine nostrorum idiomatum alienis, aut ex diversitate objectorum,

---

permitti, atque ad sapientissimos fines ab eo dirigi.

10. *Actiones immo hominum moraliter malas Deo hinc inde immediate adscribunt*, ut Exod. 10, 1: *Ego induravi cor ejus* (Pharaonis), *et servorum illius*, II. Reg. 24, 1: *Addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitque Davidem in eis dicentem: Vade, numera Israël et Judam,* Rom. 1, 24-28: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis . . . Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.* Per haec vero Hebraei significant, Deum hasce malas actiones permittere, et ad optimos fines dirigere.

11. Verba haec: *Dominus tradidit, locutus est, praecepit* etc. quandoque dumtaxat significant, aliquem ob divinae providentiae dispositionem obtinuisse *occasionem vel facultatem* aliquid faciendi, ut I. Reg. 24, 11. Saulem interimendi, II. Reg. 16, 10 maledicendi Davidi, II. Reg. 24, 1. numerandi populum Israëliticum. Confer. I. Paralip. 21, 1. et II. Reg. 24, 10.

de quibus variis in locis est quaestio, aut tandem ex terminis generalibus, quibus id exprimitur, quod cum restrictione intelligendum esse prima et generalia religionis principia docent Modus hasce adparentes antilogias conciliandi ex enumeratione causarum, ex quibus proveniunt, per se innotescit. In particulari adibit Interpres textus, ubi eaedem res fusius aut clarius exponuntur.

§. XV.

Regula VI.

630.) *In dubiis consulendi sunt Doctores Ecclesiae*, ii potissimum, qui linguae hebraïcae pro interpretatione Veteris Foederis et graecae pro explicatione Novi Testamenti probe gnari fuerunt.

§. XVI.

Regula VII.

In dubiis de genuina lectione textus originarii interpres consulat versiones antiquas, eas praesertim, quae e fontibus immediate emanarunt (N. 615.).

631.) Quando praestantiores versiones antiquae cum textu originario, aut secum concordant, genuinam exhibent lectionem textus primitivi; textum enim originarium cum praestantissimis versionibus antiquis vitiatum esse, aut hasce versiones omnes corruptas fuisse, incredibile est: *Plurimum hic qaoque juvat*, ait S. Augustinus, *interpretum nume-*

rositas, collatis codicibus inspecta, atque discussa, tantum absit falsitas (a).

§. XVI.

Subsidia exegetica.

632.) Libri S. non dumtaxat sunt *doctrinales*, sed etiam, et quidem quoad maximam partem *historici*; cum vero historiae antiquae ordinarie, et doctrinalia frequenter sine multiplici eruditione historica exponi nequeant, sequitur idoneo Interpreti praeter *Philosophiae*, *Physicae et Theologiae* scientias, atque *linguae hebraïcae et graecae* notitiam, qua libri S. generatim conscripti fuerunt, multiplicem eruditionem historicam nccessariam esse. Consequenter

Ad Libros, presertim Veteris Foederis, probe intelligendos Interpres cognoscere debet generaliter *Historiam universalem antiquam*, et speciatim

1°. *Historiam Judaeornm, populorumque illis finitimorum.* Hisce vero notionibus adquirendis inservient imprimis *ipsa historia Librorum S.*, dein Flavii Josephi: *Antiquitates Judaïcae*, Calmet: *Historia Veteris ac Novi Testamenti*, Prideaux: *Historia Judaeorum, populorumque vicinorum* etc.

2°. Noscere debet interpres *ritus moresque Judaeorum*, *historiam naturalem* praesertim Palaestinae, regionumque conterminarum, *Hebraeorum pondera*, *mensuras*, *rem militarem*, *domesticam*, *veterem geographiam*, et

---

(a) *August. de Doctr. Christ. Lib. 2. C. 14.*

3°. *Artem criticam*, cujus ope genuina lectio, interpretatio, et eruditio a spuriis et falsis discernatur.

Reperientur haec in cl. Fleury: *Mores Israëlitarum*, Michaëlis: *Jus Mosaïcum*, Jahn: *Archaeologia Biblica*, Comite de Stolberg: *Historia Religionis* J. C. Calmet: *Dissertationes*, ac *Commentaria*, Petavio: *Rationarium temporum*, Usserio: *Annales Veteris et Novi Testamenti*, Lamy: *Apparatus geographicus et chronologicus* etc.

§. XVIII.

Characteres bonae ac malae interpretationis Scripturae S.

633.) *Character generalis* bonae interpretationis Scripturae S. est ejus consensus cum Criteriis seu Regulis Exegeticis N. 622-631. recensitis.

Character autem *particularis* est generatim interpretationis *simplicitas ac facilitas*; cum enim Libri S. generaliter sine arte sed magna cum simplicitate, atque sermone facili captui populi accomodato, conscripti sint, eorum expositio et simplex et facilis generatim sit oportet; hinc quo simplicior et facilior est interpretatio, eo plerumque est verior, consequenter expositio, quae cujuslibet lectoris menti se ultro sistere debuisse videtur, caeteris interpretationibus generatim praestat.

634.) *Character* vero *generalis* malae interpretationis est illius dissensus a Criteriis seu Regulis exegeticis N. 622-631. traditis.

Character autem particularis est interpre-

tationis *contorsio ac obscuritas*; hujusmodi est expositio, quae licet verbis textus sacri solitarie consideratis forte insit, contextui tamen, aut claris aliis textibus parallelis adversatur.

§. XIX.

Conditiones ad bonam interpretationem Scripturae S. necessariae.

635.) I. Conditio ad interpretandam Scripturam S. necessaria est *notio canonis Librorum S.*, illorum *Inspirationis*, *Authentiae*, *Textus primitivi*, ac *praecipuarum Versionum*, quam capitibus I°., II°., III°. ac IV°. Hermeneuticae S. tradidimus, *notitia Regularum Exegeticarum*, et *Subsidiorum interpretationis*, quam N. 622-632. suppeditavimus, harumque Regularum *stricta observantia*.

II. Conditio est *conscientiae puritas*; haec enim praestat, ut Interpres praeconceptis opinionibus depositis, candido amore veritatis imbuatur et ducatur, mentem Scriptoris S. sedulo adsequi conetur, atque sublimis doctrinae spiritualis intelligendae capax reddatur: *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur* I. Corinth. 2, 14. Quam verum sit hoc effatum D. Pauli comprobarunt Deistae nostrorum temporum, et imprimis D. *de Voltaire* in suis flagitiosis *Bibliis*, *tandem* impiissime *explicatis* (*Bible enfin expliquée par plusieurs Aumoniers de S. M. L. R. D. P.*)

III. Conditio est *animi humilitas*; nam *Deus superbis resistit*, *humilibus autem dat gratiam* Jac. 4, 6.

IV. Conditio est *fuga Spiritus novitatis, et nimiae praedilectionis antiquorum*; secus enim sententia aliqua solius novitatis aut antiquitatis causa, non ponderatis rationibus, probabitur ac vicissim.

V. Est *amor, aestimatio ac veneratio Scripturae S., amari prius debet Sacra Scriptura quam disci*, ait S. Augustinus, *unde a multis, quia aut oderunt, aut non amant, ea non intelligitur* (b).

VI. Tandem conditio est *obsequium fidei*; quare S. Augustinus: *Si non intellexisti*, inquit, *crede; intellectus enim merces fidei est* (c)

§. XX.

Fontes malae interpretationis Scripturae S.

636.) Primus fons malae interpretationis est *ignorantia vel neglectus conditionum*, quas N. 635. recensuimus.

Alter fons consistit *in praeconceptis opinionibus*, quibus quis ductus Scripturam S. suis conceptibus ac systematibus accommodat.

Tertius fons est *libido Scripturam S. cum ratione*, seu cum principiis philosophicis vigentibus, quae rationi adscribuntur, conciliandi; ex hoc fonte crebro evenit, ut sensus Scripturae S. negligatur, atque fallaces conceptus humani ei substituantur.

Quartus fons est *non seria voluntas Scripturam S. rite intelligendi*; hinc contingit,

---

(b) *August. de utilitate credendi.*
(c) *August. Tract. in Joan.*

ut quis adfirmet non quae sacer textus, sed quae adfectus dictat.

Quintus demum fons est *effraenis illa licentia, et sacrilega audacia, miracula ac supernaturalia, ut ut clare in Libris S. enuntiata, physice seu naturaliter exponendi*, ut praestitere *J. Chr. Fredericus Eck*, et *H. E. Gottlob Paulus* (*d*): *Qui non credit filio mendacem facit Deum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo* I. Joan. 5, 10.

Hic sistendum foret; at cum ad intelligentiam Librorum S. Interpreti maxime opportunae sint notiones de regione, quam populus electus incoluit, de divisione temporis apud illum, de ejus temporibus sacris, sacrificiis, ponderibus, mensuris ac nummis, quas in decursu Hermeneuticae S. sufficienter tradere nequivimus, hic per modum Appendicis de illis ut de subsidiis Hermeneuticae S. agemus.

(*d*) Vide *Praefationem Hermeneuticae S.*

APPENDIX
SUBSIDIORUM HERMENEUTICAE S.
De Regione, Divisione Temporis, Temporibus Sacris, Sacrificiis, Ponderibus, Mensuris, ac Nummis Hebraeorum.

SECTIO I.
De Palaestina.

§. I.
De Palaestina generatim, et priscis ejus incolis.

637.) *Palaestina* est parva regio Syriae in Asia. Accipitur autem vox Palaestinae quandoque sensu stricto, et communiter sensu lato: priori sensu sumpta designat regionem *Palaestinorum*, seu *Philistinorum*, quae juxta Mare Mediterraneum a *Gaza* meridiem versus usque *Lyddam* septentrionem versus protenditur.

Palaestina sensu lato accepta significat totam regionem *Chanaan*, seu *Terram Promissam*, quae Mare Mediterraneum, Jordanem, ac Mare Mortuum interjacet. Saepe tamen ad citeriorem partem Jordanis restringitur.

638.) Prisci incolae Palestinae latius sumptae antequam ab Israëlitis possideretur, fuerunt I°. *Sidonii*, Sidonis posteri, qui occuparunt regionem, ubi fuerunt urbes *Sidon*, *Tyrus* et *Acron*, quae postea *Ptolemaïs* nuncupata fuit.

II°. *Hethaei*, posteri Heth, illorum urbes fuerunt *Dor*, *Aphee*, *Jezraël*, *Magedo*, *Galgal*, *Sarona* et *Gazer*.

III°. *Jebusaei*, posteri Jebi, postea Philistiim dicti. Eorum urbes erant *Jebus* seu *Jerusalem*, *Lachis*, *Geth*, *Accaron*, *Azotus*, *Aschalon*, *Gaza*, *Gerara*, et *Dabir*.

IV°. *Amorrhaei*, posteri Amorrh. Horum civitates erant *Nabba*, *Hesebon*, *Bosor*, et *Ramoth Galaad*.

V°. *Gergesaei*, posteri Gergis. Illorum urbes fuerunt *Damascus*, *Machati*, *Gessur*, *Soba*, *Theman*, *Astharath*, et *Adra*.

VI°. *Hevaei*, posteri Heve. Ipsorum urbes fuerunt *Jericho*, *Hai*, *Bethel*, *Gabaa*, *Lebna*, *Macedo*, et *Bezer*.

VII°. *Araci*, posteri Arac. Urbes eorum erant *Esebon*, *Madian*, et *Petra*.

VIII°. *Sini*, posteri Sin. Horum urbes erant *Sodoma*, *Adama*, *Gomorrha*, *Seboïm*, et *Segor*.

IX°. *Aradi*, posteri Arad. Eorum civitates fuerunt *Arad*, *Herimoth*, *Hebron*, *Odolla* et *Eglon*.

X°. *Samaraei*, posteri Samar. Incoluerunt regionem, ubi fuerunt postea urbes *Samaria*, *Taphua*, *Thersa*, et *Tanaï*.

XI°. *Amathi*, posteri Amath. Illorum urbes fuerunt *Semeron*, *Cedes*, *Asor*, et *Amath*. (*e*).

Hisce populis accensendi sunt *Pheresaei*, quorum urbes fuerunt *Amalec et Bostra*.

(*c*) *Gen.* 10, 15-18.

§. II.

De Nominibus Palaestinae.

639.) *Palaestina*, sensu lato accepta; vocata fuit

1°. *Terra Chanaan* (*Gen.* 10, 19.), quia a posteris *Chanaan*, filii *Cham*, seu a *Chananaeis* post diluvium inhabitata fuit. Filii Chanaan, qui hanc regionem inter se partiti sunt, diuque possederunt, sunt: *Sidon*, *Heth*, *Jebus*, *Amorrh*, *Gerges*, *Heve*, *Arac*, *Sin*, *Arad*, *Samar*, et *Amath*. (*Gen.* 10, 15-19.)

2°. Nuncupata fuit *Terra Promissa*, eoquod Deus illam promiserat posteris Patriarcharum Abrahae, Isaaci et Jacobi (*Gen.* 12. 13. 15. 17.).

3°. *Terra Hebraeorum* seu *Israëlitarum*, postquam Josue eam inter duodecim tribus Israël divisit.

4°. *Regnum Juda et regnum Israël*. Postquam nempe sub *Roboam* Salomonis filio ac successore haec regio in duo regna divisa fuit, duae tribus Juda ac Benjamin regnum Juda constituerunt, et decem aliae tribus regnum Israël effecerunt (Conf. N. 80.).

5°. Adpellata fuit *Judaea*, quia post reditum Hebraeorum ex captivitate babylonica septuaginta annorum, per Cyrum concessum, potior pars Judaeorum ex hoc exilio reversorum de tribu Juda erat.

6°. *Palaestina* dicta fuit a Graecis et Romanis, qui per exercitium commercii hanc regionem detectam a suis incolis *Palaestinis*, quos Hebraei *Philistinos* vocabant, *Palaestinam* dixere.

7°. Tandem *Terra Sancta* dicta fuit a Christianis ob nativitatem, vitam, passionem, mor-

tem et mysteria sacrosancta Jesu Christi ibi peracta.

§. III.

Limites Palaestinae. Numerus ipsius incolarum. Ejus fertilitatis.

640.) *Palaestina* sensu lato sumpta, seu regio *Chanaan*, aut *Terra Promissa*, juxta *Gen. 10*, 19. terminum septentrionalem habuit *Sidonem*, et *Geraram* terminum meridionalem, quae urbs media est inter *Gazam* terminum occidentalem, et *Pentapolim* terminum orientalem.

Cincta erat ad Septentrionem *Phoenicia* et monte *Libano*, qui illam a Syria separabat, ad Orientem montibus *Hermon*, *Galaad* et *Arabia*, ad Meridiem monte *Seïr*, et ad Occidentem *Mari Mediterraneo*. Regio haec ab Austro ad Septentrionem octoginta circiter leucis, et ab Occidente ad Orientem quadraginta circiter leucis continebatur.

641.) Palaestina a Judaeis inhabitata ante frequentes eorum captivitates regio amoenissima, fertilissima, et incolis refertissima fuit, quod vel patet ex ingentibus bellatorum exercitibus, quos reges istius regionis habuerunt, ut *Saul*, qui trecenta militum millia recensuit in Besech (*I. Reg. 11, 8.*). *Joab* praefectus militum lustrata Palaestina, tribubus *Benjamin et Levi* exceptis (*f*), Davidi retulit, in Israël *octingenta millia virorum*, et in *Juda quingenta millia* hominum ad bellum apta reperiri (*II. Reg. 24, 9.*), quae mil-

(*f*) *I. Paral.* 21, 6.

lionem et trecenta millia virorum constituunt. Si huic numero addantur viri, qui in tribubus *Benjamin* et *Levi* ad arma apti erant, liquet, numerum incolarum Palaestinae sub Davide fuisse septem circiter millionum, cum viri ad bellum apti quintam partem incolarum alicujus regionis non constituant Conf. N. 191-225. (g).

Tempore destructionis Hierosolymae sub *Tito* in Palaestina plures incolarum milliones adhuc erant, et in sola obsidione Hierosolymae undecies centena millia hominum perierunt.

§. IV.

Continuatio de fertilitate Palaestinae.

642.) Inimici christianae religionis ex hodierno Palaestinae statu, evincere vellent, hanc regionem semper fuisse sterilem ac ingratam, Moysen proinde falso eam laudare ut regionem amoenissimam ac fertilissimam.

Verum Palaestinam antiquitus fuisse regio-

(g) I. Paral. 21, 5. dicitur, Joabum recensuisse in *Israël mille millia et centum millia virorum*, et in *Juda quadringenta septuaginta millia*, quae constituunt millionem et quingenta septuaginta millia virorum ad bellum aptorum. Existimant nonnulli in *I. Paral.* 21, 5. mendum amanuensium irrepsisse; alii affirmant, Joabum equidem tot viros ad bellum aptos in Israël et Juda recensuisse, at cum hanc recensionem invitus instituerit, et hac de causa tribus Benjamin et Levi non recensuerit, ut I. Paral. 21, 6. legitur, ajunt ipsum Davidi recensionem tot millium hominum tantum tradidisse, quot II. Reg. 24, 9. leguntur, auctorem vero Paralipomenon reliqua virorum millia a Joabo recensita sed regi tacita, ex coaevis documentis adjecisse. Juxta textum autem *I. Paral.* 21, 5. numerus incolarum Palaestinae ad octo circiter animarum milliones adscendit.

nem prorsus amoenam, et omnino fertilem, praeter *Moysen*, *Davidem*, *Salomonem* et *Jeremiam*, *Fl. Josephus* testatur. *Hecataeus*, Alexandri M. contemporaneus, refert Palaestinam fuisse regionem fertilissimam et incolis omnino refertam (*h*), *Tacitus* (*i*), *Ammianus Marcellinus*, *Plinius*, et quotquot ex antiquis auctoribus de Palaestina loquendi occasionem habuerunt, idem scribunt. *Plinius* ait, *Hierosolymam* non solummodo Palaestinae, sed etiam totius Orientis fuisse urbem clarissimam: *Hierosolyma*, inquit, *longe clarissima urbium Orientis*, *non Judaeae modo* (*k*).

Justinus de Judaeis scribit: *Opes genti, ex vectigalibus opobalsami crevere.. Est namque vallis, quae continuis montibus, velut muro quodam instar castrorum, clauditur. Spatium loci ducenta jugera, nomine Jericho dicitur. In ea sylva est, et ubertate et amoenitate insignis. Siquidem palmeto et opobalsamo distinguitur: et arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, et in vinearum morem excoluntur. Hae certo anni tempore balsamum sudant. Nec non minor loci ejus opacitatis, quam ubertatis admiratio est. Quippe cum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quaedam ac perpetua opacitas est* (*l*).

Palaestina, quondam cultoribus referta tam foecunda, postea a *Babyloniis*, *AEgyptiis*,

---

(*h*) *Hecat. apud Fl. Josephum contra Appionem.*
(*i*) *Tacit. Annal. Lib.* 21.
(*k*) *Plin. Hist. Nat. Lib.* 5. *C.* 14.
(*l*) *Just. Hist. Lib.* 36.

Syris, *Romanis*, *Saracenis*, *Arabibus* etc. saepius devastata, et cultoribus ac incolis maximopere spoliata, et modo *Turcis* subjecta, defectu cultorum fere sterilis est; sed testibus viatoribus modernis multis in locis adhuc antiquae suae faecunditatis ac amoenitatis vestigia retinet: variis enim in locis fructus quicumque sine ulla fere cultura crescunt, et ubi cultores haud desunt abundanter adsunt. vites minime deficiunt, licet Turcae vino non utantur. Jumenta, pecudes, ferae, aves, arbores frugiferae, fruges terrae omnis generis haud desunt, praesertim in locis, ubi incolae non deficiunt (*m*).

§. V.

Temperies Palaestinae.

643.) *Genesis 8, 22.* annus more Orientalium in sex partes dividitur, quam divisionem hic sequemur.

I. Anni parte, seu tempore *Messis*, a dimidio *Aprilis* usque ad dimidium *Junii*, coelum est serenum, prima vero Aprilis parte aura incalescit.

II. Parte anni, seu tempore *Fructuum*, ab altero dimidio nempe *Junii* usque ad dimidium *Augusti*, dies noctesque tam fervidae sunt, ut incolae sub dio dormitent.

III. Anni parte, seu tempore *AEstus*, ab altero dimidio *Augusti* usque ad dimidium

---

(*m*) Vide Guénée: *Recherches sur la Judée, considérée principalement par rapport à la fertilité de son territoire depuis la captivité de Babylone jusqu'à notre temps. Tom. IIme. des lettres de quelques Juifs etc. à M. de Voltaire Paris* 1817. *pag.* 297. *etc*

Octobris, calor est ingens. A dimidio autem *Aprilis* usque ad dimidium *Septembris* pluvia et tonitrua generaliter locum non habent (*n*). Ros copiose decidit. Fontes ac rivi exsiccantur, et humus prae calore rimas agit.

IV. Parte anni, seu tempore *Sementis*, ab altero dimidio Octobris usque ad dimidium *Decembris*, temperies variat, et est pluviosa, substilla, nebulosa, caliginosa etc. Altera vero dimidia parte *Octobris* prima *pluvia autumnalis*, sementi necessaria, decidit. Temperies autem saepe adhuc est calida, sed dein fit frigida, et nives in montes decidunt. Versus finem Novembris arbores suis foliis orbantur.

V. Anni parte, seu tempore *Hiemis*, ab altero dimidio *Decembris* usque ad dimidium *Februarii*, nives in planities labuntur, sed vix per diem ibi durant, et glacies, quae non nisi tenuis est, solis radiis dissolvitur, viae vero sunt lubricae (Conf. *Matth.* 24, 20.). Fulgura, tonitrua et grandines sunt frequentia. Campi floribus ornantur, et sub finem Januarii segetes virescunt, arbores sua folia reproducunt, et rivi aquis onerantur.

VI. Parte anni, seu tempore *Frigoris*, ab altero dimidio *Februarii* usque ad primum dimidium *Aprilis*, temperies ab initio est frigida, progrediente autem tempore incalescit. Pluviae vero, fulmina, tonitrua ac grandines continuantur, sed versus finem primae partis Aprilis omnino cessant. Ultima pluvia primo dimidio Aprilis decidit, et *serotina*

(*n*) Conf. *Prov.* 26, 1. *I. Reg.* 12, 17. *Hier. in Amos.* 4, 7.

ab Hebraeis nuncupatur. Pluvia prima seu *Autumnalis*, hinc *Matutina* dicta, et pluvia ultima seu vernalis, hinc *Serotina* vocata (Joël. 2, 23.), a Judaeis quam maxime exoptabantur, utpote arvorum fertilitati maximopere necessariae. Conf. *Lev.* 26, 4. *Deut.* 11, 14, 17. *Jerem.* 3, 3. *Oseae* 6, 3. *Zach.* 10, 1.

§. VI.

Calamitates Palaestinae.

644.) Regio haec, natura sua tam amoena, variis subjacet calamitatibus, quae sunt

I°. *Terrae motus*, quibus Palaestina saepe concutitur, ac patitur. Ab hac calamitate Prophetae varios tropos deprompserunt ad magnas rerum subversiones designandas.

II°. *Tonitrua*, *fulgura*, *grandines*, *inundationes*, et *cataractae nubium*, quae tempore hiemis locum habent. Eas describit *Plinius* (o). Hae calamitates Prophetis ac poëtis Hebraeorum plures tropos praebuerunt.

III°. *Agmina locustarum*, quae agros devastant. Hae locustae sunt quatuor circiter pollicum longitudinis, et crassitudinis circiter digiti hominis. Conf. *Apoc.* 9, 7, *Joël.* 1, 4.

IV°. Ob locustarum vastationes, et pluviae autumnalis defectum, oritur quandoque *maxima annonae caritas atque fames.*

V°. Ventus terribilis, quem adpellant Arabes *Samum* seu pestiferum, *Turcae Samyel*, Hebraei vero nuncupare videntur *Ventum Urentem Job* 27, 21. *Jerem* 4, 11. Hic ventus numquam ultra septem vel octo minu-

(o) *Plin. Hist. Nat. Lib.* 2.

ta, non ultra duos pedes a terra, nec alte in aërem spirans, interimit, quotquot homines sub dio stantes reperit. Conf. *Ps. 103, 16. Jerem. 18, 17. Ezech. 17, 10. Oseae 13, 15.*

Animalia dio exposita haud occidit, sed illa totis artubus trementia, instinctu quodam naturali caput humi dimittunt.

Homines se ab eo tutaturi proni in faciem humi corruunt, os terrae firmiter admovent, ne auram illam pestiferam hauriant, atque pedes adversus plagam, unde ventus spirat, obvertunt. Ventus hic potissimum spirat in Persia, Babylonia, desertis AEgypti, et in Nubia.

D. *Thevenot* scribit, homines hoc vento enecatos mox fieri nigros, carnemque ab ossibus avelli, si attrectantur, refert dici, in illo vento esse ignem, et nonnullos hoc vento percussos solummodo adhuc dicere posse, se interne uri (*p*). Scribit anno 1665. in urbe Bassora quatuor millia hominum hoc vento fuisse interemptos (*q*).

VI°. *Pestis*, quae ex AEgypto aliisque vicinis regionibus advehitur. De illa frequens in libris S. fit mentio.

§. VII.

Montes Palaestinae.

645.) Palaestina est regio montosa, et duo juga montium, unum cis et alterum trans Jordanem per eam ex Syria in Arabiam se extendunt, quae varia planitie interrupta sunt.

(*p*) Vide *Thevenot Reis. Th. II. B. I. Kap.* 12.
(*q*) *Ibid. B. III. Kap.* 10.

Praecipui montes sunt.

I°. *Libanus*, qui duobus constat jugis, quae in medio magnam vallem ab antiquis *Coelesyriam* dictam relinquunt. Graeci tractum orientalem *Antilibanum*, et occidentalem *Libanum* nuncupant, Hebraeis vero uterque tractus nomine Libani venit.

Mons Libanus olim complures ingentes aluit *cedros* in historia et praesertim in Scriptura Sacra celeberrimas. Hae arbores sunt ingentis omnino altitudinis ac crassitudinis. Paucae altissimae ac densissimae, testibus viatoribus, modo ibi supersunt. Inter residuas fertur, nonnullas reperiri triginta quinque, et quadraginta pedum crassitudinis.

Antilibanus altior est Libano; et perpetuis nivibus est coopertus, quamquam et in altiori Libani vertice nives tempore aestatis haud deficiant. Vertex altissimus Antilibani ab Hebraeis *Hermon* dicebatur.

Antilibanus nutrit pinos et abietes, et a Libano per fertilem et amoenam vallem Coelesyriam separatur. Altitudo horum montium est 9000-9600. circiter pedum.

II°. *Carmelus*, qui constituit jugum montium versus meridiem Ptolemaïdis, et septentrionem Dorae ad Mare mediterraneum. Hi montes eorumque valles efficiunt regionem amoenissimam, quod nomen *Carmeli* sat indicat, cum *vineam Dei* significet. Summitates Carmeli abietibus ac quercubus, et ejus valles lauris ac olivis ornatae sunt, ac rivi fontesque haud desunt. Maxima altitudo Carmeli est circiter 2100. pedum.

Alius mons *Carmelus* dictus cum urbe ejusdem nominis est in tribu *Juda*.

III°. *Thabor*, de quo Hieronymus: *Est autem*, inquit, *Thabor mons in Galilaea, situs in campestribus, rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitus aequaliter* (r). *Fl. Josephus* scribit, altitudinem hujus montis esse triginta stadiorum, et in ejus summitate esse planitiem viginti sex stadiorum circuitus, muris circumdatam, et versus septentrionem inaccessibilem. In hoc vertice quondam urbs extitit. Mons iste est hodie omnino desertus.

IV°. *Montes Israël*, etiam montes *Ephraïm* dicti, qui opponuntur *montibus Judae*. Solum horum montium est fertile, juga vero montium Israël regionem Jordanis respicientia, et quae a monte *Olivarum* usque ad planitiem Jerichuntis extenduntur, sunt aspera et salebrosa. Vertex altissimus ultimorum montium *Quarantania* vel *Quarentana* modo nuncupatur; antiquitus *Remnon* adpellatus videtur (*Jud.* 20, 45.). Montes *Hebal* et *Garizim*, quorum alter ad aquilonem, et alter ad austrum *Sichemi* situs est, celebres sunt *Deut.* 27. et *Jos.* 8. *Samaritani* in monte *Garizim* suum templum habebant.

Ad dictos montes referuntur celeber mons *Moria*, cui a Salomone templum hierosolymitanum superstructum fuit, mons *Sion*, ubi *civitas David* fuit, mons *Olivarum*, seu *Oliveti*, ab olivarum frequentia sic nuncupatus, et haud procul Hierosolymis dissitus, ex hoc monte Christus in coelum ascendit, mons *Calvariae* prope Hierosolymam, ita adpellatus, quod publico judicio damnati ibi ultimum supplicium subirent, eorumque *calvaria* illic

---

(r) *Hieron. in Oseae* 5.

sparsim jacerent. In hoc monte Christus opus redemptionis humani generis complevit.

V°. *Montes Galaad* trans Jordanem siti, qui longo tractu ab Antilibano usque in Arabiam Petraeam procurrunt. Hi montes variis in locis varia sortiuntur nomina. Ad Septentrionem occurrunt montes *Basan*, qui pascuis et quercubus celebres fuerunt. Ad austrum sunt montes *Abarim*, quos inter versus Jerichuntem conspicui sunt vertices *Nebo* et *Phasga*, unde omnis regio Chanaan videtur. Moyses hosce vertices conscendit ad Terram Promissam contemplandam (*Deut. 34, 1.*).

Extra Palaestinam occurrunt mons *Sinaï* in Arabia Petraea, ob legem, quam Moyses ibi a Deo accepit, celeber (Exod. 34, 1. etc.), et mons *Horeb* etiam in Arabia Petraea prope montem Sinaï situs, ubi Deus adparuit Moysi in rubo ardenti (*Exod. 3, 1.*).

§. VIII.

Planities Palaestinae.

646.) Planities hujus regionis, in libris S. celebriores, sunt

1°. Tractus maritimus a *torrente AEgypti* usque ad montem *Carmelum*, tractus a *Gaza* usque ad *Joppen*, et tractus a *Joppe* usque ad *Carmelum*.

2°. Planities *Jezrael*, seu *Esdrelon*, quae a Mari Mediterraneo et montibus Carmeli usque ad Jordanem per mediam Palaestinam protenditur.

3°. Districtus *Jordanis* seu ambo littora Jordanis a lacu Genesareth usque ad Mare Mortuum. Ad hanc regionem spectant planities

Jerichuntis, vallis salinarum ad Mare mortuum, et campestria Moab.

§. IX.
Vallis Ennom.

647.) Inter valles Palaestinae memorabimus dumtaxat vallem *Ennom*, prope moenia Hierosolymae sitam, in cujus parte, *Topheth* vocata, infantes idolo *Molóch* comburebantur (*I. Reg. 23, 10. Jerem. 7, 21.*).

Moloch significat *regem*, et idolum Ammonitarum erat. Per illud intelligunt alii *Saturnum*, cui notum est, a Gentilibus infantes sacrificatos fuisse, alii vero alium Deum Paganorum intelligunt. Cl. *Calmet* existimat, Moloch repraesentasse *Solem* seu Gentilium Deum coeli.

Judaei cultui idoli Moloch dediti fuisse videntur jam ante suum egressum ex AEgypto, eoquod Moyses ipsis consecrationem infantium ad hoc idolum sub capitis poena prohibet: *De semine tuo*, ait, *non dabis*, *ut consecretur idolo Moloch* (Lev. 18, 20.), *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch morte moriatur* (Lev. 20, 2.). Propheta *Amos* Judaeis: *Portastis*, inquit, *tabernaculum Moloch vestro* (C. 5, 26.), et *S. Stephanus*: *Suscepistis tabernaculum Moloch* (Act. 7, 43.).

Judaeos quandoque suos infantes in honorem idoli Moloch combussisse ex *Ps. 105*, *37*. *Ezech. 16*, *21*. *23*, *39*. liquet, licet quandoque eos solummodo *lustrarent per ignem* aut *transferrent*, seu suo modo purificarent.

Infantes modo sequenti idolo Moloch sacri-

ficatos fuisse dicitur. Statua idoli Moloch erat aenea et cava, ejusque brachia extensa, versus terram inclinata erant. Igne interius excitato statua calescebat, et alter ignis ante ipsam accendebatur. Infans idolo sacrificandus brachiis statuae imponebatur, sed mox in subjectum ignem propter ardores statuae labebatur, in quo horrendos edens clamores comburebatur. Ne autem miseri infantis vociferationes ac tormenta spectatores commoverent, strepitus ingentes ope tympanorum aliorumque instrumentorum excitabantur. Hae dicuntur fuisse horribiles caeremoniae sacrificiorum, quae Judaei in honorem idoli Moloch in valle *Topheth* peragebant (*s*). Vox *Toph* hebraïce *tympanum* significat.

§. X.

Silvae et deserta Palaestinae.

648.) Silvarum fit frequens mentio in Bibliis Sacris. Celebriores vero sunt

1°. Silva cedrorum in monte *Libano* (Conf. N. 645.).

2°. Silva pinorum ac abietum io monte *Antilibano* (N. 645.)

3°. Silva quercuum in montibus *Basan* (*Zach.* 11, 2. et N. 645.).

4°. Silva ad confinia tribuum Juda ac Benjamin prope *Baala* urbem, quae ideo *Cariathiarim*, seu *urbs silvarum* dicitur *Jos. 15, 9.*

5°. Silva *Ephraïm* (*Jos. 17, 15. II. Reg. 18, 6.*).

(*s*) Vide *Calmet Dict. de la Bible art. Topheth.*

6°. Silva *Hareth* (*I. Reg.* 22, 5.), et silva deserti *Ziph* (*I. Reg.* 23, 14-16.).

7°. Silva *Joardes* trans Jordanem a Romanis excisa (*t*).

8°. Silvae in summitatibus montium *Carmeli* et *Thaboris*.

9°. Fruticeta in littoribus lacus *Meron* et *Jordanis*, quae *Superbia Jordanis* adpellantur (*Zach.* 11, 3. *Jerem.* 12, 5. 49, 19. 50, 44.).

Ob hasce silvas Palaestina olim lignis abundabat, modo autem, cum plures silvae tum a Judaeis, tum ab eorum hostibus victoribus excisae sint, ligna ignibus haud sufficiunt; quare siccata stercora pecudum loco ligni a pauperibus frequenter adhibentur (Conf. N. 342.).

649.) Inter varia deserta Palaestinae in Libris S. occurrentia venit

a) Desertum *Judae* dictum, eoquod in tribu Juda incipit (*II. Paral.* 20, 20. *Math.* 3, 1. etc.), seu magnum illud desertum, quod ab urbe *Thecue* inchoans per Arabiam Desertam usque ad Sinum Persicum excurrit, et in Euphratis littoribus ultra urbem *Bir* protenditur.

b) Desertum *Engaddi* ad occidentale littus Maris Mortui (*I. Reg.* 24, 1-2.).

c) Desertum *Ziph* (I. Reg. 23, 14-16.).

d) Desertum *Maon* (I. Reg. 23, 24.).

e) Desertum *Carmel*.

f) Desertum *Thecue*.

g) Desertum *Jerichuntis*.

h) Desertum *Bethaven* (Jos. 18, 12.).

(*t*) *Fl. Jos. de Bell. Jud. Lib.* 8. *C.* 6.

§. XI.

Jordanes. Lacus Meron, et lacus Genesareth.

650.) *Jordanes*, solus fluvius Palaestinae magnam aquarum molem vehens, et in Libris S. celeberrimus, ad radicem montis *Antilibani* e lacu *Phiala* exoritur, ut sub *Philippo* Galilaeae Tetrarcha primum detectum fuit (*u*). Labitur dein sub terra spatio circiter sex leucarum, atque ad urbem *Paneadem*, seu Caesaream Philippi, ad pedem montis *Panii* sitam, magno cum murmure e terra evolvitur.

651.) Emensus dein rursus sex circiter leucas ruit per lacum *Meron* vel *Semechon*, quem aquis complet. Lacus *Meron* vel *Semechon* sexaginta stadia longitudinis et triginta latitudinis continet (*v*). Juxta *Fl. Josephum* paludes hujus lacus procurrunt usque *Daphnen* (*x*).

Jordanes e lacu Meron egressus, et sex circiter leucis confectis, labitur per *lacum Genesareth*.

652.) Lacus hic etiam vocatur lacus *Cennereth*, *Genesar* (*I. Machab. 11*, 67.), *Mare Galilaeae* (*Matth. 4, 18.*) a Galilaea regione vicina, et *Mare Tiberiadis* ab urbe *Tiberiade*, quae primum *Cennereth* vel *Ceneroth*, postea *Genesar* aut *Genesareth*, atque tandem

---

(*u*) Lacui *Phialae* palea injecta fuit, quae per meatus subterraneos delata fuit in *Panium*, e quo Jordanes suam originem ducere illuc usque creditum fuerat.

(*v*) *Fl. Joseph. de Bell. Jud. Lib. 4. C. 1.*

(*x*) *Fl. Jos. Loc. Cit.*

ab *Herode* Tetrarcha ampliata in honorem imperatoris *Tiberii Tiberias* nuncupata fuit.

Hic lacus juxta *Fl. Josephum* quatuor circiter leucas cum dimidia longitudinis, et duas latitudinis habet. Aqua ejus est clara, dulcis, et magnam copiam piscium alit. Illius littora sunt obsita collibus et montibus frugiferis, atque amoenis oppidis, *Capharnao* nempe, *Corozaim*, *Juliade*, *Gerasa*, *Gadara*, *Bethsaïda*, *Tiberiade*, *Tarichea* etc. Discipuli Jesu in hoc lacu jussu divini sui magistri retia laxantes, tantam ceperunt piscium multitudinem, ut retia disrumperentur (*Luc. 5.*). Ibi Christus tempestatem, ipso dormiente exortam, sedavit (*Matth. 8.*) Jesus super aquas hujus lacus ambulavit (*Matth. 14.*), et Petrus ad jussum Christi super eum incedens submergi coepit (*Ibid.*).

Jordanes e lacu Genesareth egressus, et 150-200. pedibus latus, ac septem profundus, variis anfractibus protenditur in regionem, quae ab ipso Jordanis regio dicitur. A dimidio Aprilis, seu tempore Messis Palaestinensium, Jordanes intumescit, solitoque rapidius fertur, eoquod nives perpetuae Antilibani, quibus suam originem debet, tum calore solis solvuntur. Tandem ab urbe Caesarea Philippi quinquaginta circiter leucas emensus, in *Mare Mortuum*, seu *Lacum Asphaltidem* proruit.

§. XII.

Mare Mortuum, seu lacus Asphaltides.

653.) Mare hoc vocatur *Mare Mortuum* quia nihil vivum alit. Adpellatur *Mare Ori-*

entale ob ejus oppositionem ad *Mare Occidentale* seu Mare Mediterraneum. Dicitur *Mare deserti* et *planitiei* a deserto et planitie quae sunt ad occidentem et ad septentrionem. Vocitatur *Mare Siddin* et *Mare Sodomae*, eoquod occupat vallem silvestrem, in qua sitae erant amoenae civitates Pentapoleos, *Sodoma* nempe, *Gomorrha*, *Adama*, *Seboïm* et *Segor*. Tandem nuncupatur *Mare Salsum*, *Mare Salis* et *Lacus Asphaltides*, eoquod ejus aquae sale quam maxime imbutae sunt, et Hebraei nomine salis comprehendunt *Asphaltum*, bitumen et nitrum.

Locus a Mari Mortuo occupatus ante Pentapolis subversionem erat vallis silvestris, amoena, fertilis, Jordani irrigua, et paradiso Domini comparata. Jordanes modo in hoc lacu deperditur. Sed cum ante terribilem conflagrationem et destructionem Pentapoleos illuc suam ingentem aquarum copiam exoneraret, quae in rivos dispersae vallem irrigabant ac foecundabant, et tandem sub terram labebantur, oportet Mare Mortuum jam ante praefatam devastationem Pentapolis ibi fuisse subterraneum (*Gen.* *14*, *3.*), sed tectum densa crusta terrae sustentata *asphalto*, e terra, ubi conglomeratum dudum fuerat, in altum emergente. Asphaltum adhuc modo e fundo Maris Mortui in superficiem aquarum emergit, atque ruptum in aërem faetorem spargit.

Genesis 14, *10*. legitur, in praefata valle ante subversionem Pentapoleos fuisse *multos puteos bituminis*, quo nempe asphaltum seu bitumen ex subterraneo lacu penetrabat. Bitumen hoc fulminibus, seu igne coeli ut He-

braei loquuntur, juxta *Gen.* 19, 24. a Deo in vallem Pentapolis positive immissis, conflagravit, atque ita crusta terrea, quae lacum subterraneum tegebat suo sustentaculo bituminis privata, in aquas subsidit, et prodiit lacus ubi antea vallis erat *Gen.* 19, 24-25. (*y*).

Mare Mortuum, seu Lacus Asphaltides, juxta *Fl. Josephum* viginti quinque circiter leucas longitudinis, et sex circiter latitudinis continet. Cum non solummodo aquas Jordanis, sed et illas aliorum fluviorum et torrentum recipiat, atque suas aquas nullibi visibiliter exoneret, oportet Mare Mortuum per meatus subterraneos suas aquas effundere in Mare Rubrum vel in Mare Mediterraneum.

Quaecumque huic lacui immerguntur, inde extracta salis crusta obducta sunt. Tanta abundat asphalti seu bituminis copia, ut res ponderosae ei injectae vix submergi possiut, sed potius super aquas fluitent: *Quae gravissima sunt*, scribit Fl. Josephus, *in eum jacta fluitant. Vespasianus, qui ejus visendi causa illuc venerat, jussit quosdam natandi inscios, vinctis post terga manibus, in altum projici: et evenit omnibus, tamquam vi spiritus sursum repulsos, desuper fluitare. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, quae super undam et habitu et magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant* (*z*).

Littora hujus lacus montibus sunt consita, excepto ad septentrionem, ubi solum est planum, sterile, exustum, cineribus tectum, et

---

(*y*) Vide *Calmet Dict. de la Bible art. Sodome.*

(*z*) *Fl. Joseph. de Bello Jud. Lib.* 5. *C.* 5. Conf. *Justin. Hist. Lib.* 36.

sale imbutum. Ista in planitie crescit *Solanum Melangenae*, quod etiam *vitis Sodomae* nuncupatur. Mala, quae producit, adpellantur *botri venenati*, et *uvae amarae*. Exterior eorum forma est pulchra, sed interne sunt corrupta et cineribus plena (*a*). Moyses ad hosce fructus alludit cum dicit: *Vinea Sodomorum, vinea eorum de suburbanis Gomorrhae: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi* (Deut. 32, 32.).

Verno tempore circa hunc lacum, ob copiosiores Jordanis aquas intumescentem, excavantur foveae, in quibus aquae decrescente lacu subsidunt, et in vapores solutae salis crustam deponunt. Hoc sale tota fere vicina regio utitur. Conf. *Ezech.* 47, 11.

§. XIII.

Alii Palaestinae fluvii et torrentes.

654.) Fluvii et torrentes, qui in Mare Mortuum labuntur sunt

1°. *Saphia* vel *Saphria*, 2°. *Zered*, 3°. torrens *Arnon*, et 4°. torrens *Cedron* (*Joan. 18, 1.*). Hic ultimus torrens fluit per vallem *Josaphat* Hierosolymam inter et montem olivarum. Vix aquas habet nisi verno tempore. Christus hunc torrentem transiit cum discipulis quando ante passionem Patrem suum coelestem ibat adoraturus (*Joan. 18, 1.*).

Caeteri celebriores fluvii ac torrentes, in Libris S. occurentes, sunt

1°. *Belus* seu *Beleus*, qui prope Ptolemaï-

(*a*) Conf. *Fl. Joseph. de Bell. Jud. Lib.* 5. *C.* 5. *et Tacit. Annal. Lib.* 5.

dem in Mare Meditarraneum fluit. Ejus arena quondam ad vitrum conficiendum adhibita fuit, et hinc parvus iste fluvius celeber factus ést (b).

2°. Torrens *Cison* vel *Cisson* aut *Kisson.*

3°. Torrens *Arundineti.*

4°. Torrens *Botri.*

5°. Torrens *Besor.*

6°. Torrens *Jaboc.*

7°. Torrens *Jaser.*

8°. Torrens *Carith*, prope quem Propheta *Elias* a corvis pastus fuit (*III. Reg.* 17.).

§. XIV.

Divisio Palaestinae sub Josue.

655.) Palaestina sub *Josue*, Moysis in ducem Hebraeorum successore, in duodecim tribus seu partes divisa fuit. Posteri Josephi Patriarchae duas partes equidm consecuti sunt, tribus nempe *Ephraïm* et *Manasse;* at tribus Levi non tribum separatim obtinuit, sed quadraginta octo dumtaxat civitates, quae variis in tribubus dispersae erant. Duodecim partes regionis Chanaan seu Palaestinae fuerunt

1°. Tribus *Ruben*, 2°. *Gad*, 3°. *Manasse*, 4°. *Juda*, 5°. *Simeon*, 6°. *Dan*, 7°. *Benjamin*, 8°. *Ephraïm*, 9°. *Issachar*, 10°. *Aser*, 11°. *Zabulon*, 12°. *Nephthali.*

(b) Conf. *Plin. Hist. Nat. Lib.* 36. *C.* 26. *et Tacit Annal. Lib.* 5.

§. XV.

Divisio Palaestinae aevo Christi, atque nostra aetate.

656.) AEvo Christi haec regio divisa erat in provincias *cis Jordanem et trans Jordanem* sitas. Provinciae *cis Jordanem* erant numero tres, scilicet

I. *Galilaea*, continens partem septentrionalem Palaestinae, Phoenicia, Syria, Jordane, lacu Genesareth et planitie Esdrelon circumdatam. Dividebatur haec provincia in *Galilaeam superiorem*, seu septentrionalem, et in *Galilaeam inferiorem*, seu australem. Pars prior vocabatur etiam *Galilaea gentium* (*Matth. 4, 15.*), eoquod major pars ejus incolarum gentilis erat.

Christus in Galilaea, in civitate Nazareth (*Luc. 1, 26.*) conceptus, et educatus, ac quam plurimum conversatus fuit. In ea suum munus publicum primùm incoepit, variaque miracula edidit. Hinc ipse *Galilaeus* dictus, et ejus Apostoli quandoque, ac primi Christiani *Galilaei* nuncupati fuerunt. *Julianus* imperator Christianos omnes ex contemptu *Galilaeos* adpellabat.

II. Provincia cis Jordanem erat *Samaria*, quae se a vico *Ginea* et ab urbe *Scythopoli* usque ad *Acrabatanem* et civitatem *Annuath*, non vero usque ad Mare Mediterraneum, extendebat (c).

III. Provincia erat *Judaea*. Cincta erat Mari Mediterraneo, Arabia Petraea, Mari Mortuo, Jordane et Samaria.

(c) Conf. *Fl. Joseph de Bell. Jud. Lib.* 3. *C.* 2.

Regio *trans Jordanem* vocabatur *Peraea* a voce graeca $\pi\epsilon\rho\alpha\nu$ = *trans*, Jordanem, ad Orientem fluminis nempe, significante. Continebantur vero in ista regione octo provinciae, seu districtus, quae erant

1. *Peraea* stricte dicta, quae a torrente *Arnone* usque ad torrentem *Jaboc* extendebatur.

2. *Galaad* ad septentrionem torrentis *Jaboc* sita.

3. *Decapolis*, quae praeter plures civitates minores continebat decem urbes majores et celebres, a Gentilibus potissimum inhabitatas. Urbes istae erant *Caesarea Philippi*, *Bethsaïda*, *Corosaïm*, *Capharnaum*, *Gadara* etc.

4. *Gaulonitis*, quae ad orientalia *Jordanis et lacus Genesareth* littora usque ad *Hermonem* procurrebat.

5. *Bathanea* ad orientalem *Gaulonitidem*, et septentrionalem *Galeanitidem* sita.

6. *Auranitis*, etiam *Ituraea* vocata (*Luc*, *3*, *1*.), ad septentrionem *Bathaneae*, et orientem *Gaulonitidis*.

7. *Trachonitis* ad orientem *Caesareae Philippi*, et ad septentrionem *Auranitidis*.

8. *Abilene*, quae erat tractus Phoeniciae circa *Libanum*. Vocata fuit *Abilene Lysaniae* a *Lysania* ejus Tetrarcha (*Luc. 3, 1.*).

657.) Palaestina modo sub ditione Turcarum est, atque dividitur in tres *Melkanes*, seu partes haereditarias, quae sunt *Jafa*, *Loudd et Gaka*; prima est matris imperatoris Turcarum (*Sultane mère*), et duae aliae sunt Praefecti rei maritimae (*Capitan Pacha*).

SECTIO II.

De Divisione Temporis apud Hebraeos.

§. XVI.

De die, nocte et horis. Divisio diei.

658.) *Dies* alter est *naturalis*, et alter *civilis*: prior, seu solaris, est spatium viginti quatuor horarum, alter est tempus, quod usus alicujus populi ad initium et finem diei determinat. Initium ac finis diei apud varios populos varia semper fuerunt, et adhuc sunt. *Babylonii* dies suos numerabant ab uno ortu solis ad alium, *Itali* adhuc modo dies suos computant ab uno occasu solis ad alterum, *Catholici* vero Romani ab una media nocte ad aliam.

Hebraei suos dies tam pro *rebus sacris* quam pro *civilibus* numerabant ab uno occasu solis ad alterum: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, ait Moyses Hebraeis (*Lev.* 23, 32.). Ecclesia Catholica hunc usum antiquum retinuit ad celebrationem officii divini.

Solebant antiqui Hebraei diem integrum, seu spatium viginti quatuor horarum, designare per voces *vespere et mane*: *Factumque est vespere et mane dies unus* (*Gen.* 1, 5.), aut per *noctem et diem*: *Nox et dies non requiescent* (*Gen.* 8, 22.), atque diem et noctem quandoque vocabant partem aliquam diei et noctis (*Matth.* 12, 40.).

Primaevos homines diem divisisse in tres partes, in *mane* nempe, *meridiem et vesperam*, quando scilicet sol adparenter oritur,

nostris capitibus imminet, atque occidit, naturale omnino fuit.

Ante inventionem *horarum* Judaei diem dispescebant in sex partes inaequales, prout nostro aevo *Arabes* adhuc diem dividunt. Hae partes erant.

1°. *Aurora*, seu crepusculum matutinum (*Job.* 3, 9. 24, 17.).

2°. *Mane*, quando sol adparenter surgit (*Gen.* 19, 15.).

3°. *Fervor* seu *calor diei*, qui circa horam nonam oritur (*I. Reg.* 11, 11.).

4°. *Meridies* (*Gen.* 3, 8. 43, 16.).

5°. *Ventus* seu *aura diei*, qui in calidis regionibus Orientis singulis diebus ante solis occasum usque ad vesperam aliquot horis spirat (*Gen.* 3, 8.).

6°. *Vespera*, cujus prima pars occidente sole, et altera ingruentibus tenebris incipiebat.

Horae ante captivitatem babylonicam in Libris S. non commemorantur eo sensu quo modo sumuntur. Prima illarum mentio hoc sensu fit *Dan.* 3, 6. Horae ab initio exigebantur juxta *Gnomones*, qui meridiem dumtaxat indicabant, dein juxta *Horologia solaria*. Primum Horologium solare occurrit *IV. Reg.* 20, 9. 11. (*d*). Cum autem sole haud splendescente Gnomones et horologia solaria nullius usus essent, inventae fuerunt *Clepsydrae* (*e*).

(*d*) Posteriori aetate *Anaximenes*, philosophus *Milesius*, qui saeculo IV. ante Christum vixit, horologium solare inter Graecos invenit, illudque Lacedaemonibus ostendit, ut scribit *Plinius Hist. Lib.* 2 *C.* 76. Alii vero honorem inventionis horologii solaris in Graecia deferunt *Anaximandri* philosopho, Anaximenis magistro.

(*e*) Clepsydra apud Persas saeculo XVII. hujusmodi

Hebraei deinde spatium, quo sol regionem illustrat, diviserunt in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas complectebatur. Cum autem sol tempore aestatis diutius quam tempore hiemis luceat, horae istae tempore aestivo erant longiores quam tempore hiberno. Partes istae diei, quae ab *Ausonio Trihoria* nuncupantur, dicebantur hora I. III. VI. et IX. Hora I. inchoabatur cum ortu solis, durabatque tribus circiter horis nostratibus. III. Hora incipiebat tribus horis post solis ortum, et durabat usque ad meridiem. Hora VI. Inchoabatur a meridie, perdurabatque circiter usque ad nostratem horam tertiam pomeridianam inclusive. IX. Hora incipiebat tribus horis post meridiem, et desinebat cum occasu solis, ita ut ultima hora IV. trihorii esset hora duodecima diei. Hora III. VI. et IX. jam occurrunt *Dan. 6, 11-13. collat. cum Act. 2, 15. 3, 1. 10, 3, 9. Ps. 54, 18.* ut precibus destinatae, *Marcus 15, 25.* hoc modo horas recenset (N. 567.).

Hebraei insuper diem dividebant in *duodecim horas*, quae jam constituebantur per quatuor praefata Trihoria. I. hora incipiebat cum solis ortu, VI. erat meridies, et XII. cum occasu solis desinebat. Hinc Christus *Joan. 11, 9: Nonne*, ait, *duodecim sunt horae diei*? *Joannes 19, 14.* hoc modo horas numerandi utitur (N. 567.).

Hebraei duas distinguebant *Vesperas*, pri-

---

adhuc erat: Scutella ex tenuissima lamina aerea, in fundo exiguo foramine perforata, vasi aqua repleto imponebatur. Aqua trium horarum spatio per foramen penetrante scutella implebatur et submergebatur, atque ita per quamlibet submersionem tres horas indicabat.

ma incipiebat post meridiem circa nostratem horam pomeridianam secundam, atque durabat usque ad solis occasum; altera Vespera inchoabatur ab occidente sole. Hinc tempus inter primam et secundam vesperam elapsum, vocant *inter duas vesperas.*

§. XVII.

Divisio noctis.

659.) Ante captivitatem babylonicam Hebraei noctem in tres dumtaxat *Vigilias* dividebant. I. Vigilia vocatur *Lament.* 2, 19. *principium vigiliarum*, et ab occasu solis usque ad mediam noctem durabat. II. *Vigilia* nuncupatur *Judic.* 7, 19. *Vigilia noctis mediae*, ac a media nocte usque ad gallicinium extendebatur. III. vero *Vigilia* adpellatur *Exod.* 14, 24. *Vigilia matutina*, atque a gallicinio usque ad ortum solis durabat. Hae partes noctis ita nuncupatae fuisse videntur a *vigiliis*, quas Levitae in tabernaculo et in templo obibant.

AEvo Christi Judaei ad exemplum Romanorum noctem dispescebant in *quatuor Vigilias* I. *Vigilia* inchoabatur ab occasu solis, tribus horis durabat, ac *Vespera* dicebatur (*Marc.* 11, 19.) II. *Vigilia* usque ad mediam noctem extendebatur, atque hinc *media nox* nuncupatur (*Matth.* 25, 6.). III. *Vigilia* usque ad nostratem horam tertiam matutinam durabat, atque *cantus galli*, seu gallicinium, dicebatur (*Marc.* 13, 35.). IV. tandem *Vigilia* cum oriente sole desinebat, atque *diluculum* vocabatur (*Joan.* 8, 2.) Hae vigiliae quandoque etiam alia nomina sortiuntur.

§. XVIII.
De hebdomadibus.

660.) Numerus *septem* apud Hebraeos ob memoriam creationis septimo die absolutae sacer erat. Tempus seu periodus septem dierum ab illis *hebdomada* vocabatur (*Gen.* 29, 27-28.), septima vero dies *sabbathum* erat. Ab hac die, ut a praecipua hebdomadis parte, Hebraei totam hebdomadem *sabbathum* vocabant (*Luc.* 18, 12.). Dies hebdomadis nominibus propriis carebant, et nuncupabantur *prima*, *secunda*, *tertia dies sabbathi*, qui respondebant diei *solis*, *Lunae*, *Martis* etc. dies vero septima, seu sabbathum, respondebat diei *Saturni*. Nomina *solis*, *Lunae*, et planetarum *Martis*, *Mercurii* etc. diebus hebdomadis ab AEgyptiis indita fuerunt. Cum Hebraei una eademque voce utantur ad significandum *primum* ac *unum*, *una sabbathi* vel *sabbatorum* apud eos significat primam diem hebdomadis (*Marc.* 16, 19, *Luc.* 24, 1. *Joan.* 20, 1.).

Hebraei autem Hellenistae sextam diem hebdomadis, seu vigiliam sabbathi, vocant *παρασκευη* = *Parasceve* (*Marc.* 15, 42.), quae vox graeca *praeparatio* sonat. Dies sexta hebdomadis Parasceve seu praeparatio dicta fuit, quod Hebraei eo die deberent praeparare suos cibos in diem sabbathi; eos enim septimo die praeparare nefas erat.

Judaei non Hellenistae sextam diem hebdomadis adpellabant *Vesperam Sabbathi*, quae vespera incipiebat hora nona, seu circa nostratem horam tertiam pomeridianam.

Praeter hebdomades septem dierum habe-

bant Hebraei 1°. Hebdomades septem hebdomadum, seu quadraginta novem dierum a festo Paschatis usque ad festum Pentecostis, quod ultimum festum in diem quinquagesimum incidebat, et *Festum Hebdomadarum* vocabatur (*Deut.* 16, 9-10.), 2°. hebdomades septem annorum (*Lev.* 25.), quarum annus septimus vocabatur *Annus Sabbathicus* (Conf. N. 665.), atque 3°. habebant hebdomades septem annorum sabbathicorum, seu quadraginta novem annorum, quae periodus claudebatur *Anno Jubilaeo*, in annum quinquagesimum incidente (Conf. N. 666.). *Fl. Josephus* adhuc meminit periodi duodecim annorum jubilaeorum, seu sexcentorum annorum (*f*); at Libri S. de illa silent.

§. XIX.

De mensibus et anno Hebraeorum.

661.) Ortus et occasus solis diem determinarunt, septemque dies hebdomadem in memoriam creationis constituerunt. *Phases* vero *lunae* primaevis hominibus procul dubio determinandi menses occasionem praebuerunt. Cum enim viderent, lunam post viginti novem dies cum dimidio cursum suum renovare, absque dubio hoc temporis spatium notarunt, quod dein *Mensis* dictum fuit.

Verisimile non est, primitivos homines annum recensuisse juxta cursum solis, utpote Astronomiae adhuc ignaros, bene vero juxta reditum aestatis, et maturitatis fructuum. Quum enim observarent, aestatem et maturi-

(*f*) *Fl. Jos. Antiq. Lib.* 1. C. 3.

tatem fructuum ab initio redire post duodecim circiter menses lunares, annum verisimiliter juxta duodecim menses lunares exegerunt, atque ita primitus annum 354. dierum habuerunt.

Sed cum post aliquot hujusmodi annos tempestates eodem mense revertente contrariae essent, annus lunaris ad solarem reduci debuit, atque jam ante diluvium reduci coepit. Annum solarem ex duodecim mensibus triginta dierum constantem ante diluvium adhibitum fuisse, ex historia, quam Moyses ex documentis coaevis, verisimiliter familiae Noëmi, de diluvio contexuit, patet (g). Cum vero duodecim menses triginta dierum nonnisi 360. dies conficiant, mensi duodecimo quinque dies adjiciendi erant, ut haberetur annus solaris 365. dierum.

Interim Moyses Hebraeis praescripsit *annum lunarem*, sed ad annum solarem reducendum. Cum enim menses singulos a *prima phasi lunae* incipi, consequenter cum ultima phasi finiri juberet, sequitur menses Hebraeorum fuisse lunares, ac proinde eorum annum lunarem. Moyses autem provisurus, ut hic annus 354. dierum ad annum solarem 365. reduceretur, sacerdotes obligavit, ut secunda die Paschatis, seu decima sexta die post Neomeniam mensis *Nisan*, primi mensium anni sacri, manipulum maturum ad altare offerrent. Si enim seges ultimo mense anni sacri nondum matura erat, cogebantur sacerdotes mensem adjicere. Hoc vero singulis fere tribus annis facere debebant, cum undecim

(g) *Gen*, 7. *et* 8.

dies, qui in anno lunari quotannis deerant ad annum solarem conficiendum, spatio trium annorum lunarium plusquam mensem integrum constituerent. Hinc Hebraei singulis circiter tribus annis lunaribus mensem unum inter *Adar* mensem ultimum, et *Nisan* mensem primum anni sacri, intercalabant, quem *Ve-Adar* seu secundum mensem Adar vocabant.

Hebraei igitur menses lunares, annumque lunarem ad solarem reducendo, improprie annum solarem habuerunt, et eum conservarunt. Quare auctor Ecclesiastici: *Luna*, inquit, ... *ostensio temporis*, *et signum aevi. A luna signum diei festi . . . mensis secundum nomen ejus* (*h*). Graeci pariter annum juxta cursum solis, et menses juxta lunam numerarunt: *Universi Graeci*, ait Geminius, *annos juxta solem*, *menses vero et dies juxta lunam agebant* (*i*).

§. XX.

Nomina mensium Hebraeorum.

662.) Menses Hebraeorum antiquitus nominibus propriis destituebantur, et vocabantur *mensis primus*, *secundus*, *tertius* etc. (*k*). In libris Moysis occurrit solus mensis *Abid*, seu *novarum spicarum*, aut *novorum fructuum*, qui primus mensis anni sacri, postea *Nisan* dictus, fuit (*l*).

In captivitate vero babylonica Judaei nomina mensium *Chaldaeorum* seu Babylonio-

(*h*) *Ecclis.* 43, 6-8.

(*i*) *Gemin. Isagog. C.* 6.

(*k*) *Gen.* 7, 11. 8, 4, 5, *Lev.* 23, 34.

(*k*) *Exod.* 13, 4. 23, 15. 34, 18. *Deut.* 16, 1.

rum adoptarunt. Cum autem menses lunares sint viginti novem dierum cum dimidio, Hebraei primum mensem triginta, sequentem viginti novem dierum ac sic alternatim constituerunt.

Cum haberent annum duplicem, *sacrum* nempe, juxta quem officia templi, et res religionis peragebantur, atque *annum civilem*, secundum quem res civiles dirigebantur, primum tempore verno a prima Neomenia mensis *Nisan*, qui respondet mensi *Martio*, et juxta recentiores nonnullos mensi *Aprilis*, alterum vero tempore autumnali a prima Neomenia mensis *Tisri* seu *Tischri*, qui respondet mensi *Septembris*, et juxta quosdam recentiores mensi *Octobris*, incipiebant. En nomina mensium Hebraeorum juxta annum sacrum!

I. *Nisan* (*II. Esdr.* 2, 1) antiquitus *Abid* dictus, 30. dierum, incipiebat a I. Neomenia mensis Martii vel Aprilis.

II. *Ziv* (*III. Reg.* 6, 1, 27.), seu *Jiar*, 29. dier. Incipiebat a I. Neomenia Aprilis vel Maji.

III. *Sivan.* (*Esth.* 8, 9.), 30. dier. Incipiebat a I. Neomenia Maji vel Junii.

IV. *Thammuz*, 29. dier. Incipiebat a I. Neomenia Junii vel Julii.

V. *Ab.* 20. dier. Incipiebat a I. Neomenia Julii vel Augusti.

VI. *Elul*, 29. dier. Incipiebat a I. Neomenia Augusti vel Septembris.

VII. *Tisri*, seu *Tischri*, 30. dier. Incipiebat a I. Neomenia Septembris vel Octobris.

VIII. *Bul* (*I. Reg.* 6, 38.) etiam *Marschevan* seu *Marcheschvan* nuncupatus, 29. dier. Incipiebat a I. Neomenia Octobris vel Novembris.

IX. *Casleu*, vel *Khislev* (*Zach.* 7, 1.), 30. dier. Incipiebat a I. Neomenia Novembris vel Decembris.

X. *Tebeth* (*Esth.* 2, 16.), 29. dier. Incipiebat a I. Neomenia Decembris vel Januarii.

XI. *Sabath*, seu *Sebat* vel *Schebat* (Zach. 1, 7.), 30. dier. Incipiebat a I. Neomenia Januarii vel Februarii.

XII. *Adar* (*Esth.* 3, 7.), 29 dier. Incipiebat a I. Neomenia Februarii vel Martii.

Mensis, quem Hebraei singulis fere tribus annis intercalabant, *Ve-Adar*, seu *secundus Adar* nuncupabatur, inter menses *Adar* et *Nisan* collocabatur, atque 29. dierum erat.

SECTIO III.

DE TEMPORIBUS SACRIS HEBRAEORUM.

§. XXI.

De Temporibus Sacris Hebraeorum generatim.

663.) Deus apud populum suum electum varios dies festos instituerat, tum ad perennem reddendam memoriam praecipuorum benefactorum, quae illi impertiri dignatus fuerat, tum ad illum ope caeremoniarum, majestateque cultus externi divinae suae religioni addicendum, tum ad ei a laboribus requiem, certaque gaudia procuranda, tum ut ipsi instructionis occasionem suppeditaret, cum lex Moysis in conventibus religionis legeretur ac explicaretur, tum ut variae familiae populi electi in coetum convenientes, charitatem mutuam renovarent, arctiusque perstringerent.

Festa Hebraeorum alia per legem Moysis,

et alia per Judaeos posterius instituta fuerunt.

Festa legis Mosaïcae sunt 1°. *Sabbathum*, 2°. *Neomenia*, 3°. *Pascha*, 4°. *Pentecostes*, 5°. *Festum tabernaculorum* seu Scenopegiae, 6°. Festum *collectae* et 7°. Festum *expiationis* seu propitiationis.

Festa vero ab Hebraeis instituta sunt *a*) festum *Phurim* seu sortium, et *b*) festum *Encaeniorum*.

§. XXII.
De Sabbatho.

664.) Antiquissimum festum Hebraeorum est *Sabbathum*, seu septima dies hebdomadae, institutum in memoriam septimi diei mundi, quo Deus a procreandis novis rerum speciebus cessavit (*Gen.* 2, *2-3.*).

Hoc die Judaeis vetitum erat ipsos parare cibos, immo ignem accendere (*Exod.* *35*, *1-3.*). Cum Sabbathum involveret requiem a laboribus, et sanctificationem diei, festa alia Judaeorum saepe Sabbatha vocantur, ut *Lev.* *23*, *11.* *24*, *32.* Immo hebdomada ipsa quandoque a suo praecipuo die *Sabbathum* vocitatur, ut *Luc.* *18*, *12*: *jejuno bis in Sabbatho*, id est, in hebdomade.

Nonnulli equidem hoc nostro aevo negant, institutionem Sabbathi ex *Gen.* 2, *2-3* probari posse, propterea quod sequentibus temporibus de sabbatho celebrando nulla occurrit mentio.

Ast cum Moyses *Exod.* *20*, *8.* populo hebraeo dicat: *Memento ut diem sabbati sanctifices*, ejus institutionem ut notam supposuit, eo magis quod nullibi praescribit quae

die sabbathi agenda vel omittenda sint, utpote illa ex institutione sabbathi nota supponens.

Scopus autem primarius sabbathi erat, per requiem a laboribus, et sanctificationem diei, confiteri, Deum hoc universum creasse, septimo die a procreandis novis rerum speciebus cessasse, illumque pietate ac morum probitate colendum esse. Hinc profanatio hujus diei ultimo supplicio punienda erat: *Sex diebus*, ait Moyses Israelitis, *facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum, et requies Domini: qui fecerit opus in eo occidetur* (Exod. 35, 2.).

Scopus vero secundarius sabbathi erat, ut homines, mancipia praesertim, illo die per quietem vires resumerent, atque de Deo beneficentissimo, qui hanc requiem instituerat, gauderent: *Sex diebus operaberis*, ait Deus populo hebraeo, *septimo die cessabis, ut quiescat bos et asinus tuus: et refrigeretur filius ancillae tuae et advena* (Exod. 23, 12.).

§. XXIII.

De Anno Sabbathico.

665.) Ad Sabbatum referendus est *Annus Sabbathicus*. Hic enim locum habebat quovis anno septimo, quemadmodum Sabbathum recurrebat quovis die septimo.

Annus sabbathicus institutus fuit ad creationem hujus universi, septimo die absolutam, cultumque creatoris quovis septimo anno pecullaliter in memoriam revocanda. Annus hic incipiebat prima die mensis septimi, seu *Tisri* vel *Tischri* qui respondet nostro mensi Septembris vel Octobris.

Hoc anno Judaei 1°. Prohibebantur agros suos conserere, et metere, vineas putare et sua sponte crescentia colligere (*Exod* 23, 10-11. Conf. N. 57).

2°. Anno sabbathico omnia debita ex vendito et mutuo Judaeorum originis, non vero peregrinorum vel Gentilium, remittebantur (*Deut.* 15, 1-3,).

3°. Illo anno mancipia Hebraeorum, non vero alienigenarum, emancipabantur (*Deut.* 31, 10.).

4°. Eo anno lex Deuteronomii Moysis a sacerdotibus toti populo festo tabernaculorum in tabernaculo vel templo promulgari debebat (*Deut.* 31, 10-12.).

Per institutionem anni sabbathici insuper *a*) consulebatur chronologiae Hebraeorum, *b*) terrae vires suas reficiebant, *c*) pauperibus subveniebatur, sua sponte enim crescentia illis, peregrinis ac feris relinquenda erant, *d*) ferarum genera conservabantur, *e*) Judaei parcimoniae studebant, *f*) industriae assuescebant, annis praecedentibus annum septimum fruges congerebant, atque ita fami et caritati annonae consulebant. (Conf. N. 57.).

§. XXIV.

De Anno Jubilaeo.

666.) Septem anni sabbathici constituebant apud Hebraeos *Annum Jubilaeum*, ita ut quinquagesimus annus esset Annus Jubilaeus, non vero quadragesimus nonus, ut nonnulli autumarunt.

Annus iste initium suae enumerationis desumebat ab exordio Anni Sabbathici; quare

quemadmodum primus Annus Sabbathicus fuit annus septimus a primo anno possessionis et culturae regionis Chanaan, ita primus Annus Jubilaeus fuit quinquagesimus annus possessionis ac culturae hujus regionis.

Anno Jubilaeo 1°. remittebantur omnia debita, ut Anno Sabbathico, 2°. mancipia, etiam quae legitima de causa retenta fuerant, fiebant libera, 3°. possessiones majorum divenditae aut alienatae ad antiquos haeredes sine pretio aut compensatione redire debebant, atque hinc Annus Jubilaeus vocabatur annus remissionis (*Lev. 10.* etc.).

Hoc Anno Jubilaeo denuo providebatur chronologiae Judaeorum, 2°. consulebatur pauperibus, ut aere alieno et servitute liberati, bonis avitis restituerentur.

§. XXV.

De Neomeniis.

667.) Νεομηνια — *Neomenia* graece *novam lunam*, novum mensem, primumque diem mensis lunaris designat. Interpres latinus mori Romanorum se accommodans primum diem cujuslibet mensis Hebraeorum, seu *Neomeniam*, *Calendas* vocat. Neomenia autem non a conjunctione lunae cum sole, sed a prima phasi lunae numerabatur.

Moyses hunc diem peculiari devotione peragi jusserat, quia eo die provida Dei gubernatio in renovatione phasium lunae est valde conspicua. Ut autem susperstitiones Gentilium ab illo excluderet, praecepit, ut in Neomeniis praeter sacrificia quotidiana duo vituli, aries, septem agni anniculi, cum farina

oleo perfusa, et libamine vini, offerrentur Deo in sacrificium, hircus pro peccato immolaretur, atque ut sacerdotes tubis clangerent: *In calendis offeretis holocaustum Domino*, ait Moyses Hebraeis, *vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, et tres decimas similae oleo conspersae in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas similae oleo conspersae per singulos arietes: et decimam decimae similae ex oleo in sacrificio per agnos singulos. Holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. Libamenta autem vini, quae per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars Hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis* (Num. 28, 11-15. Conf. Num. 10, 10.).

Celebratione Neomeniarum rursus chronologiae Hebraeorum consulebatur. Poterant autem Judaei diebus Noemeniarum solita sua officia obire.

§. XXVI.

Neomenia novi anni, seu festum Tubarum.

668.) *Neomenia* omnium solemnissima erat Neomenia mensis septimi, *Tisri* seu *Tischri* vocati, quo annus civilis incipiebatur. Mensis iste respondet mensi Septembris vel Octobris. Dies haec sacra erat, atque per eam omnia opera servilia omittenda erant: *Mense septimo*, ait Moyses, *prima die mensis*,

erit vobis Sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum: omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino (Lev. 23, 24-25.). Cum hoc festo initium anni civilis sonitu tubarum annuntiaretur, solemnitas haec *Festum Tubarum* nuncupata fuit.

Praeter sacrificia, quae in aliis Neomeniis offerebantur, sacrificari debebant in holocaustum vitulus, aries, septem agni anniculi, cum farina oleo perfusa, et libamine vini. Hircus offerendus erat pro peccato (*Num.* 29, 1. etc.).

Gentiles quondam primum diem mensis in honorem *Lunae* celebrarunt, hunc autem cultum, variis superstitionibus refertum, vel a Neomeniis Hebraeorum mutuati sunt, vel lunam coluerunt, quod tum denuo conspicua fiebat. Non vero Hebraei suas Neomenias a Gentilium cultu Lunae deprompserunt, ut *Joan. Spencerus* in sua dissertatione in Neomenias evincere vellet (*m*).

§. XXVII.

De festis solemnioribus Habraeorum generatim.

669.) Solemniora festa Hobraeorum erant festa *Paschatis*, *Pentecostis* et *Tabernaculorum*.

Festa Paschatis et Tabernaculorum celebrabantur cum octava; prima autem et ultima illorum dies tantummodo sacrae erant,

---

(*m*) *Spencer de Legibus Hebraeorum Ritualibus etc. Lib.* 3. *C.* 1. *Dissert.* 4.

his vero diebus Judaeis suos cibos parare licitum erat (*Exod.* 12, 16. *Lev.* 23, 35.) Festum Pentecostis sine octava celebrabatur.

Ad tria haec festa celebranda omnes Judaei adulti se antiquitus ad tabernaculum, et postea ad templum hierosolymitanum conferre debebant. Munera offerebant ex secundis decimis, secundis pecudum primogenitis, et secundis primitiis constantia, sacrificia offerebant, convivia instituebant, atque Deo de collatis sibi ac nationi beneficiis gratias persolvebant.

§. XXVIII.

De festo Paschatis.

670.) Hoc festum in memoriam admirabilis libertationis Israëlitarum ex AEgypto, et conservationis eorum primogenitorum ab angelo exterminatore, AEgyptiorum primogenitos interimente, institutum (*Exod.* 12.), solemnissimum festum Hebraeorum erat. Ab hebraïco *Pesach*, transire significante, *Pascha*, quod Graeci etiam *Phase* dicunt, seu *transitus* nuncupatum fuit, eoquod nocte praecedente egressum Israëlitarum ex AEgypto angelus exterminator transivit domos Hebraeorum, quarum postes sanguine Agni Paschalis tincti fuerant (*Exod.* 12.).

Decima quarta die mensis *Abib*, postea *Nisan* dicti, seu primi mensis anni sacri, inter duas vesperas, hoc est spatio, quod inter nostratem horam secundam pomeridianam usque ad sextam circiter vespertinam elabitur, Agnus Paschalis immolandus erat (*Exod.* 12.).

Jam decima die dicti mensis paterfamili-

as agnum anniculum vel hoedum seponebat (*Exod.* 12, 1-6.), quem decima quarta die ejusdem mensis inter duas vesperas in tabernaculo, et postea in templo ad aram immolabat (*Exod. Ibid.*), et sacerdos ejus sanguinem ad pedem altaris spargebat. In AEgypto, quando festum Paschatis prima vice celebratum fuit, patresfamilias sanguine agni postes suarum domuum tinxerunt (*Exod.* 12, 7.).

Agnus Paschalis trajiciebatur duobus baculis, altero per longum, et altero ad pedes anteriores, et sic quasi crucifixus integer assabatur in clibano. Assatus manducabatur cum herbis amaris, seu lactucis agrestibus, quae illi saporem addebant. Agnus iste in qualibet familia immolandus erat, sed ad illum comedendum non pauciores quam decem, et non plures quam viginti personae adesse debebant: quare si personae requisitae in aliqua familia non erant, ex altera familia adsumebantur. Hae personae in prima celebratione Paschatis, seu in AEgypto, calceatae et succinctae cum baculis in manibus, tamquam ad iter paratae, Agnum Paschalem celeriter comederunt, quae adjuncta postea omissa fuerunt. Agnus Paschalis integer comedendus erat, et ossa ejus frangenda non erant (*Exod.* 12, 46. *Num.* 9, 12.), quae ultimae circumstantiae semper observatae fuerunt (Conf. *Joan.* 19, 36.). Quae de agno Paschali supererant, in ignem projicienda erant. Qui, legitime non impeditus, celebrationem Paschatis neglexisset, mortis reus erat (*Num.* 9, 13.).

Septem diebus festi Paschatis non nisi *panes azymi* manducari poterant, et ideo hoc

festum *solemnitas Azymorum* dicebatur (*Exod. 23, 15.*). Qui panem fermentatum eo tempore comedisset, capitis reus erat (*Exod. 12, 18-19.*). Vespere decimae quartae diei mensis Nisan fermentatum e domibus anxie et scrupulose auferebatur, et per totam hebdomadem nihil de eo conspiciebatur. D. Paulus *I. Cor. 5, 7.* ad hunc ritum alludit, dum Corinthios hortatur, ut *purgent vetus fermentum.*

Agnus Paschalis antiquitus in tabernaculo, extructo autem templo hierosolymitano, Hierosolymae in templo immolandus erat (*Deut. 16, 5-6.*): quare Judaei subversa Hierosolyma coenam Paschatis commemorativam substituerunt, in qua varii observabantur ritus, multi eorum stante adhuc templo jam observati fuisse videntur. Conf. *Math. 26, 23-27. I. Cor. 11, 26-27.*

Decima quinta mensis Nisan, seu prima dies azymorum, erat solemnissima dies festi Paschatis (*Lev. 23, 7.*), atque omnia opera servilia severissime prohibita erant (*Ibid.*). Decima sexta vero dies ejus mensis, seu secunda die Paschatis, offerebatur primus maturus manipulus hordei, atque in holocaustum agnus anniculus cum farina et libamine immolabatur. Hoc ritu consecrabatur messis (*Lev. 23, 5-13.*). Singulis aliis diebus hebdomadis Paschalis holocausta et victimae pro peccato immolabantur (*Num. 28, 16.* etc.).

§. XXIX.

De festo Pentecostis.

671.) Hoc festum ab Hebraeis celebrabatur

quinqaginta diebus post secundam diem Paschatis, seu decimam sextam mensis *Abid* aut *Nisan*, proinde sexto die mensis *Sivan*: hinc nominatum fuit *festum Hebdomadarum* (*Deut.* 16, 10.), septem nempe Hebdomades dierum a festo Paschatis elapsae erant. Graece dictum fuit *Πεντεκοςτη* = *Pentecoste*, seu *quinquagesima* dies a Paschate.

Festum hoc institutum fuit in memoriam legis, Moysi in monte Sinaï a Deo datae quinquagesimo die post Israëlitarum egressum ex AEgypto. Finis hujus festi erat, Deo pro data lege Mosaïca et pro messe solemnes gratiarum actiones reddere; quare etiam *solemnitas messis primitivorum* seu primitiarum vocabatur (*Exod.* 23, 16.).

Duo panes ex farina novarum frugum, atque decima pars *Ephae* ejusdem farinae, ut primitiae messis offerebantur, quare Pentecostes *dies primitivorum* nuncupabatur (*Num.* 28, 26.). Hoc festo plura holocausta, et sacrificium pro peccato, offerebantur (*Lev.* 23, 18-20.). Ad festum Pentecostis Judaei undequaque Hierosolymam concurrebant (*Act.* 2.)

§. XXX.

De festo Tabernaculorum seu Scenopegiae, et Collectae.

672.) Festum Tabernaculorum institutum fuit in memoriam itineris Israëlitarum per Arabiam Petraeam, ubi sub *Tabernaculis*, seu *tentoriis* habitarunt, atque hinc festum *Tabernaculorum*, et graece *Σκηνοπηγια* = *Scenopegia*, nuncupatum fuit, simul autem

in gratiarum actionem collectionis fructuum et vindemiae celebratum fuisse videtur.

Celebrabatur hoc festum a decima quinta die mensis septimi seu *Tisri* usque ad vigesimam tertiam, per octo nempe dies continuos. Octava dies ut festum peculiare adjecta erat (*Lev.* 23, 34-44.).

Hebraei his octo diebus sub tabernaculis seu tentoriis, ut in itinere per Arabiam Petraeam, habitare debebant (*Lev.* 23, 34-44.). Haec tentoria super domos, in Palaestina aequato tecto coopertas, vel aliis in locis extruebant, atque ipsis extra illa dormire, comedere, ac bibere vetitum erat (*n*).

Primo die festi Tabernaculorum Judaei manibus ferre debebant fructus arboris pulcherrimae, quae creditur esse *Citrus* seu *Malus Medica*, spatulas palmarum, ramosque aliarum arborum frondosarum (*Lev.* 23, 40-41.). Hebraei hos ramos colligabant, tota prima die gestabant, atque in ipso tabernaculo vel templo retinebant. Aliis diebus hujus festi hosce ramos dumtaxat ad tabernaculum vel templum ferebant, ubi illos manibus tenentes altare circumdabant, atque laetum *Hosanna* decantabant, tubae autem eo tempore undequaque resonabant. Visio *Apocalypsis* 7., ubi Jo-

---

(*n*) Gentiles, qui plura a Judaeis mutuati sunt, pariter festa quaedam sub tentoriis celebrabant. *Ovidius* (*Fast. Lib.* 3.) ita describit festum *Annae Perennae*, quod Romae sub tentoriis viridibus agebatur:

Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt;
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis;
Desuper extensas imposuere togas.

annes describit sanctos palmas manibus ferentes, et thronum agni circumdantes, dictae Hebraeorum caeremoniae analoga est. Septima vero die festi Tabernaculorum Judaei septies altare circumibant, in memoriam expugnationis Jerichuntis, haecque caeremonia *Magnum Hosanna* adpellabatur.

Laetissima autem solemnitas hujus festi haec erat. Sacerdos singulis diebus hujus festi mane vase aureo aquam ex fonte *Siloë* hauriebat, solemniter in templum deferebat, atque in sacrificio matutino in cornu australe altaris vino mixtam effundebat, Levitis laete concinentibus, et tibiis undequaque accinentibus. Jesus juxta *Joan.* 7, 37. ultimo die festi Tabernaculorum huic caeremoniae intererat, atque exclamabat: *Si quis sitit veniat ad me, et bibat*, docens, se esse istum fontem perennem, de quo Propheta *Zacharias* loquitur *C.* 13, 1.

Diebus festi Tabernaculorum plura sacrificia quam in aliis festis praescripta erant (*Num.* 29, 12, etc.). Judaei oblationes dabant, et convivia celebrabant (*Deut.* 16, 14-15.). Anno autem Sabbathico diebus hujus festi in tabernaculo ac dein in templo lex mosaïca populo praelegebatur (*Deut.* 31, 10-13.).

673.) Dies octavus festi Tabernaculorum solemniter celebrandus, atque sancte sine operibus servilibus transigendus erat. Vocabatur haec dies hebraïce *Hazeret*, quae vox finem solemnitatis significat. Vulgatae auctor eam vocat *Coetum atque collectam* (Lev. 23, 36.). Existimant alii hoc die eleemosynas collectas fuisse, alii vero collecta fuisse quae ad expensas cultus divini necessaria erant.

§. XXXI.

De festo Expiationis seu Propitiationis.

674.). Festum hoc institutum fuit in expiationem peccatorum, irreverentiarum ac immunditiarum, a toto populo hebraeo per anni decursum commissorum.

Celebrabantur decima die mensis *Tisri* seu *Tischri*, qui erat mensis septimus anni sacri Judaeorum. Rigorosum hoc festo observabatur jejunium, sub mortis poena injunctum, atque a vespera usque ad vesperam cibum quemcumque comedere nefas erat (*Lev. 23*, *27-29.*). Opera servilia sub capitis poena interdicta erant (*Ibid*).

Summus sacerdos omnem liturgiam peragebat. Lotus toto corpore, femoralibus et tunica alba byssina indutus, cinctus zona, et solita mitra sacerdotali ornatus, juvencum pro suis et familiae peccatis, atque duos hircos pro peccatis populi ad altare ducebat, sorte autem praefiniebat quis hircorum Deo sacrificandus, et quis in desertum liber dimittendus esset (*Lev. 16.*).

Manus imponebat juvenco, sua et familiae peccata super ipsum confitebatur, atque hanc victimam mactabat. Prunas sacri ignis altaris atque thus thuribulo imponebat, et Sanctuarium ingrediebatur. Hac sola die totius anni ei Sanctuarium ingredi licebat. Sanctuario incensato, egrediebatur, de sanguine immolati juvenci in Sanctuarium deferebat, et septies inter arcam et velum, Sanctum a Sanctuario separans, suo digito de hoc sanguine spargebat. Dein egressus ad cornu altaris hircum immolandum sacrificabat, et denuo Sanctua-

rium ingressus, septem ut antea aspersiones de sanguine hirci suo digito faciebat. Dein atrium tabernaculi ingressus, varias aspersiones sanguine hirci peragebat. Tandem accedebat ad aureum altare Thymiamatis, quatuor ejus cornua sanguine hirci et juvenci illiniebat, ipsumque septies eodem sanguine aspergebat.

Sanctuario, atrio, et altari purificatis, summus sacerdos ambas manus capiti hirci in desertum mittendi graviter imponebat, eum omnibus peccatis, delictis, ac praevaricationibus populi hebraei symbolice onerabat, atque tandem viro tradebat, qui illum in desertum deduceret, et ibi liberum dimitteret.

Juvencus, qui pro peccatis summi sacerdotis ejusque familiae, et hircus, qui pro peccatis populi immolati fuerunt, symbola erant poenae, quae pro peccatis promerita fuerat, atque hae victimae extra castra vel urbem concremabantur (*Lev.* 16.). Libera vero dimissio alterius hirci symbolice significabat, Israëlitas poena suis peccatis juxta legem mosaïcam debita liberatos esse. Hircus iste *Azaël* seu *Hircus Emissarius* nuncupabatur.

Tandem summus sacerdos vestibus albis depositis, in tabernaculo lotus, atque pretiosis vestibus sacerdotalibus indutus, holocausta pro se et pro populo, ac aliud sacrificium pro peccato, immolabat (*Lev*, 16.) (*o*).

(*o*) Judaei festo expiationis hoc modo peccata sua confitentur. Duo Judaei in angulum Synagogae secedunt, confessurus paccata, profunde inclinatus, et dorso discooperto, peccata sua confitetur, atque pectus percutit, quotiescumque alter Judaeus confessionem audiens ipsum loro percutit. Judaeus vero confessarium agens alteri triginta novem ictus suo loro infli-

Absolutis festis legis mosaïcae, pauca de festis per Judaeos institutis dicemus.

§. XXXII.

De festo Phurim seu Sortium.

675.) Festum *Phurim* vel *Purim*, seu *sortium*, institutum fuit a *Mardochaeo*, viro Judaeo, primo Ministro Assveri, seu Xerxis M., Regis Persiae, in memoriam libertationis Judaeorum imperii Persici ab internecione, quam illis decreverat *Aman* prior minister regis Assueri (*Esth.* 9,); quare et hoc festum *Dies Mardochaei* dictum fuit (*II. Machab.* 15, 37.). Festum autem *Phurim* seu *Sortium* nuncupatur, eoquod Aman sorte, quam Persae *Phurim* vocant, inquisiverat diem Judaeis fatalem.

Festum hoc celebrandum erat decima quarta et decima quinta mensis *Adar*, seu ultimi mensis anni sacri Hebraeornm. In illo praelegebatur integer liber *Esther*. Modo autem hoc festum festo Bacchi simile est; quotiescumque enim nomen *Aman* occurrit, omnes Judaei plaudunt manibus, atque pugnis et malleis scamna percutiunt, vociferantes: *Pereat nomen ejus.*

Judaei olim in memoriam supplicii crucis Amani cruces super domos suas erigebant;

---

git: ter recitans verba Psalmi hebraïci 78, 38: *Ipse vero* (Deus) *propitiabitur iniquitati, At non disperdet, multumque avertit iram suam, et non suscitabit totum furorem suum.* (Vulg. Ps. 77, 38,). Hac caeremonia finita, Judaeus confessarius se humi prosternit, atqne ab altero Judaeo triginta novem ictus lori accipit. Conf. *Buxtorfium Synagogae Judaïcae C.* 20.

at hoc illis prohibitum fuit *Cod. Theod. Tit.* *12. C. 2.*

§. XXXIII.

De festo Encaeniorum seu Luminarium.

676.) Apud Judaeos quatuor fuerunt festa *Dedicationis Templi*, illud dedicationis templi a *Salomone* extructi celebrabatur mense *Tisri*, festum reaedificationis hujus templi per *Zorobabelem* incidebat in mensem *Adar*, tertium festum erat dedicationis templi per *Herodem* regem Judaeae, et quartum festum erat dedicatio templi per *Judam Machabaeum* facta; cum enim Antiochus Epiphanes templum hierosolymitanum profanasset, Judas Machabaeus illud mundavit, ejusqae dedicationem celebravit. Haec dedicatio multis sacrificiis per octo dies agebatur vigesima quinta die mensis *Casleu*, et in festum annum conversa fuit. Festum hoc quoque *Festum Luminarium* nuncupatum fuit, quod Judaei ad felicem rerum conversionem, suamque laetitiam manifestandam multa luminaria accendebant.

Occurrit adhuc *II. Mach.* 1, 18. etc. *Festum detecti ignis sacri* sub Nehemia, atque *I. Mach.* 7, 48. etc. *II. Mach.* 15, 37. *Festum* ob devictum *Nicanorem* institutum.

SECTIO IV.

De Sacrificiis Hebraeorum.

§. XXXIV.

Sacrificiorum antiquitas, et origo.

677.) *Sacrificium* est oblatio rei sensibilis per ministrum legitimum Deo immediate facta, atque aliqua ratione destructa, ut per combustionem, immutationem, fractionem et effusionem.

Sacrificia humano generi coaeva sunt, ut constat ex sacrificiis *Abelis* et *Caini* filiorum Adami (*Gen. 4, 3-5.*), *Noëmi* (*Gen. 8, 20.*), *Abrahami* (*Gen. 12, 7. 13, 4. 15, 9. 17. 22, 13.*), *Melchisedech* (*Gen. 14, 18-19.*), *Jacobi* (*Gen. 28, 18.*) etc.

Origo sacrificiorum equidem ex primitivorum hominum grato animo in Deum, naturae auctorem, suorumque benefactorem, illi aliquid de suis donis offerentium, explicari posset; at cum primitivi homines in infantia humani generis versarentur, vix credibile videtur, Deum omnem cultum externum eorum arbitrio reliquisse. Verisimilius videtur, Deum aliquid de sacrificiis determinasse, aut saltem innuisse, licet id ante legem Moysis in Genesi haud occurrat. Aliunde origo sacrificiorum cruentorum animalium difficulter ab inventione humana repeteretur. Sed cum Deus protoparentes docuerit ex pellibus animalium occisorum sibi vestes seu tegumenta conficere (*Gen. 3, 21.*), eos verisimiliter per mortem istorum animalium docuit, aut saltem iis innuit, ipsos mortem per peccatum meruisse, atque hanc vio-

lentam animalium necem saepe repetendam esse in memoriam reatus ac poenae peccati, atque in agnitionem supremi sui in vitam omnium dominii.

Omnes antiqui populi Deo sacrificia cruenta obtulerunt non solum ad supremum ejus dominium agnoscendum, et illius majestatem honorandam, sed etiam ad ipsius iram placandam.

Si vero sacrificia cruenta originis humanae essent, symbola fuissent hominum grati animi, reverentiae in Deum, agnitionis supremi ejus dominii in omnia, atque in ipsam vitam. Sed si jussu aut nutu Dei instituta fuerunt, erant insuper symbola poenae, cujus peccator est reus, quae gravitatem peccatorum per necem animalium inculcabant, et ad morum emendationem faciebant.

§. XXXV.

Sacrificia antemosaïca.

678.) Ante legem Moysis in Genesi non reperiuntur nisi holocausta, sacrificia eucharistica, et sacrificia foederum, atque pauca de eorum ritibus.

Offerebant homines Deo sanguinem et carnes victimarum, vellera ovium, fructus terrae, lac, vinum etc.

Quilibet suorum sacrificiorum minister erat, aut saltem ministrum constituere poterat. Ordinarie autem honor offerendi Deo sacrificia deferebatur viris probis, familiarum capitibus, principibus, ac primogenitis.

§. XXXVI.

Sacrificia Mosaïca. Eorum divisio.

679.) Moyses per suam legem sacrificia offerenda determinavit, ritus ex Patriarcharum consuetudine descendentes suae legi accomodavit, variosque alios adjecit, tum ne Israëlitae ad sacrificia Gentilium variis caeremoniis ornata relaberentur, tum ut hosce ritus saepius obeuntes legem divinam suae menti alte imprimerent, reverentiam in Deum, animique gratitudinem palam facerent, legem fidelius observarent, atque ita novis suis obligationibus ex datione legis profectis, accurate satisfacerent. Soli autem familiae *Aaronis*, fratris Moysis, honor sacrificia Deo offerendi delatus fuit.

Inter sacrificia legis Mosaïcae alia erant *I. Cruenta*, et *Victimae* seu *Hostiae* dicebantur. Ad haec sacrificia quatuor dumtaxat animalium genera apta erant, *boves* nempe, *oves*, *caprae*, et in aliquibus casibus de volucribus *turtures*, et *pulli columbarum* (*Lev. 1, 2. 5, 6-7. 12, 6-8. 15, 29. Num. 6, 10.*). Moyses haec animalium genera in victimas praescripsisse videtur, quia Deus haec animalia Abrahamo in sacrificium offerre praeceperat (*Gen. 15, 9.*), et verisimiliter, ut superstitionem, qua AEgyptii gentiles (pleraque haec animalia prosequebantur, e mente Israëlitarum extirparet.

Animalia holocaustorum debebant esse mascula (*Lev. 1, 2-3.*), in turturibus vero ac in pullis columbarum sexus negligebatur.

Sacrificia cruenta subdividebantur in *sacrificia piacularia*, seu in *sacrificia pro pec-*

cato et pro delicto, et in *sacrificia eucharistica.*

Sacrificiis *pro peccato* destinati erant juvenci, hirci, caprae, oves, turtures, et pulli columbarum, pro conditione sacrificium offerentium. Sacrificia autem *pro delicto* juxta varietatem delicti fiebant ex ovibus, capris, arietibus, pullis columbarum, et turturibus. *Sacrificia* tandem *eucharistica* fieri dumtaxat poterant ex generibus boum, caprarum, et ovium.

Nulla autem victima infra aetatem octo dierum, et ultra aetatem trium annorum offerri poterat, quod tamen in turturibus et pullis columbarum non attendebatur. Generatim offerebantur juvenci triennes, ac oves et caprae anniculae. Victimae vero omni defectu carere debebant.

II. Alia sacrificia erant *incruenta*, quae generatim fiebant ex *frumento et vino*; ex frumento facta *immolationes* seu oblationes, et ex vino peracta *libamina* vocabantur.

§. XXXVII.

Locus sacrificiorum.

680.) Holocausta et sacrificia piacularia ad plagam septemtrionalem altaris, et sacrificia eucharistica ad ejus partem meridionalem offerebantur. Holocausta et sacrificia pro peccato non dumtaxat pro singulis, sed et pro populo universo diebus festivis potissimum Deo offerebantur.

Sacrificia sub capitis poena offerenda erant super altare in tabernaculo vel in templo per solos sacerdotes (*Lev.* 17, 1-7. *Deut.* 12, 13-

14.). Haec Moyses praescripsit, ut Judaeos ab idololatria magis removeret (Conf. *Lev.* 17, 1-7. *Deut.* 12, 13-14.). Unitas autem altaris et loci sacrificiorum Israëlitis unitatem Dei in memoriam revocabat, atque familias statis diebus convenientes arctius consociabat. Prophetae tamen a periculo et suspicione idololatriae immunes aliis in locis quandoque sacrificabant (*I. Reg.* 16, 1-5. *III. Reg.* 18, 21-40.).

§. XXXVIII.

Sacrificiorum ritus.

681.) Victimam offerens, illam 1°. in atrio ante altare Deo sistebat (*Lev.* 1, 2-9.).

2°. Manum suam capiti animalis, non vero turturum aut pullorum columbarum, imponebat (*Lev.* 1, 4.). Capiti autem victimarum, pro tota natione immolandarum, seniores seu primates populi manus imponebant (*Lev.* 4, 13-15.) Victimae per hanc manuum impositionem in locum illas offerentium substituebantur, ad indicandam poenam, quam offerentes meriti fuerant per peccatum vel promerituri fuissent. Victimam immolans pro delicto, manus capiti ejus imponens, simul delictum suum confitebatur atque summus sacerdos capiti hirci pro omni populo offerendi manus imponens, eum omnibus peccatis populi symbolice onerabat.

3°. Animalia immolanda pro populo mactabantur a sacerdotibus et levitis. Antiquitus nonnulla occidebantur ab offerentibus, sed posterius sacrificabantur a levitis (*Lev.* 1, 2-9. *II. Paral.* 29, 24, 34.).

4°. Sacerdos sanguinem victimae cratere excipiebat, atque ad basim altaris spargebat. In sacrificiis pro peccato sanguis ad cornua altaris adliniebatur, et in sacrificiis pro toto populo, aut pro summo sacerdote, sanguis victimae in Sancto versus velum Sanctuarii, et die expiationis in Sanctuario versus operculum arcae et pavimentum ante arcam spargebatur, atque ad quatuor cornua aurei altaris thymiamatis liniebatur (*Lev.* 4, 3-7. 8, 15.).

5°. Levitae et sacerdotes animalia, pelle detracta, dissecabant. Antiquitus vero victimas offerentes haec praestabant. Recentiori aetate mensae marmoreae atque columnae ad haec apte peragenda in templo erant. Victimae autem pro peccato, atque holocausta summi sacerdotis et populi, extra castra vel urbem integra comburebantur, desumptis dumtaxat partibus in altari concremandis.

6°. Modo ante, modo post mactationem nonnullarum victimarum ritus peculiares adhibebantur, qui pariter usitati erant quando offerebantur panes, placentae et alia dona sacra. Hi ritus fuisse videntur oblatorum *elevatio*, et eorum *depositio* ex elevatione sequens (*Exod.* 29, 24. *Lev.* 7, 34. 8, 27. 9, 21. 10, 15. 23, 20. *Num.* 5, 25.). Per hos ritus exprimebatur desiderium, ut Deus sacrificium gratum haberet, atque significabatur, oblationem Deo factam esse.

7°. Sacerdos lignis, quae in altare detulerat, et in ordinem redegerat, ignem submittebat. Ignis a sacerdotibus perpetuo in altari nutriendus erat (*Lev.* 6, 12.), atque alio igne ad sacrificia uti vetitum erat (*Lev.* 10, 1-2.). Alii dein sacerdotes comburenda de vi-

ctima hisce lignis accensis imponebant, carnes nempe omnes holocaustorum privatorum, et de holocaustis summi sacerdotis, populi, ac de omnibus aliis sacrificiis adipem intestinorum et renum, ambos renes, reticulum jecoris, atque crassam caudam ovium (*Exod.* *29, 13, 22. Lev. 3, 4.*). Hae victimarum partes condiebantur sale puro (*Lev. 2, 13.*). Sacrificia autem pro peccato, et holocausta summi sacerdotis, et populi integrá comburebantur, exceptis partibus in altari concremandis, extra castra vel urbem, in loco, in quem cineres altaris conferebantur.

8°. Carnes omnes holocaustorum, comburendae erant. Aliorum sacrificiorum carnes aliae obveniebant sacerdotibus, et aliae cedebant illis qui sacrificia offerebant. Omnes autem istae carnes consumendae erant in tabernaculo vel in templo. Locus vero esus Agni Paschalis erat tota urbs Hierosolyma.

§. XXXIX.

Holocausta.

682.) Nomen Ὀλοκαυστον = *Holocaustum* provenit a vocibus graecis ὅλος = *totus*, et καιω = *comburo*. Ita nuncupatae fuerunt victimae, quae integrae comcremabantur, eoquod *totae victimae* per fumum in coelum *adscendebant;* hinc Hebraei holocaustum vocant *Hala*, quae vox *adscendit* significat. Haec sacrificia omnium antiquissima sunt, et piacularia erant.

Alia holocausta offerenda erant diebus festis, et alia singulis diebus. Haec erant duo agni, quorum unus mane ante alia sacrificia,

et alter vespere post alia sacrificia pro toto populo sacrificabantur. Hoc quotidianum holocaustum vocabatur *Juge Sacrificium*, vel *Holocaustum Sempiternum*.

Alia holocausta offerebantur a personis privatis vel sua sponte, vel ex voto, vel ex praescripto legis, ut a Nazaraeis inopinate immundis, vel finito eorum voto. Tandem alia offerebantur a sanatis a lepra, a puerperis, a summo sacerdote festo expiationis, et alia pro toto populo.

Holocausta fiebant ex juvencis triennibus, hircis et arietibus anniculis, atque ex turturibus et pullis columbarum. Sanguis victimae, ad septentrionem altaris mactatae, a sacerdote spargebatur per gyrum ad basim altaris. Animalia comburebantur integra cum intestinis ac pedibus, qui antea loti fuerant, cum additis farina et oleo super altare holocaustorum. Holocausta autem summi sacerdotis et populi concremabantur extra castra vel urbem in loco, in quem conjiciebantur cineres altaris. Apud Gentiles vinum fundebatur inter cornua victimae, apud Hebraeos vero libamen vini effundebatur ad altare.

Holocausta turturum ac pullorum columbarum ita fiebant. Sacerdos illis caput abrumpebat, sanguinem ad latus altaris spargebat, ingluvie et plumis in cinerarium projectis, atque alis ruptis, has volucres super altare concremabat (*Lev. 1.*).

Gentiles per Hebraeorum sacerdotes holocausta in templo offerre poterant, et *Fl. Josephus* scribit, *Alexandrum M.* ita Hierosolymis vero Deo sacrificasse (*p*).

(*p*) *Fl. Joseph de Bell. Jud. Lib.* 2. *C.* 8.

§. XL.

Sacrificia pro peccato et pro delicto.

683.) Deliberata violatio caeremoniarum mosaïcarum exterminatione e populo punienda erat. Transgressio autem caeremoniarum, vel aliquarum legum naturalium a Moyse poena sancitarum, per errorem vel inadvertentiam commissa, ab exterminatione redimi poterat. Inde descendunt *sacrificia pro peccato*, et *sacrificia pro delicto*. Neutiquam autem omnia peccata per sacrificia a poenis lege Moysis statutis liberari poterant, sed aliqua dumtaxat. Peccata, quae sacrificio remitti poterant, dividebantur in *peccata* et *delicta*.

Obscurum est quam differentiam Hebraei inter *peccatum* et *delictum* statuant. Cl. *Jahn* cum aliis existimat *peccatum* esse transgressionem legum negativarum non sine testibus admissam, *delictum* vero violationem legum adfirmativarum sine omni teste commissam (*q*). Alii tenent, Judaeos per *peccatum* intelligere transgressionem praeceptorum adfirmativorum, atque per *delictum*, seu quod latinus Interpres per delictum vertit, transgressionem praeceptorum negativorum (*r*). Alii tandem arbitrantur *peccatum* significare *peccatum voluntarium* aut transgressionem legis per imprudentiam commissam, *delictum* vero *peccatum dubium* de violatione legis (*s*).

Victimae pro *peccato* et pro *delicto* offeren-

(*q*) *Jahn*: *Archaeologiae Bibl. P. II.* §. 252. *Viennae* 1805.

(*r*) *Calmet· Dict. de la Bible art. Péché.*

(*s*) *Conf. Lamy*: *Introd. à l'Ecriture Ste. Liv. I. Ch.* 7. *Lyon.* 1699.

dae, quae et ipsae *peccata* et *delicta* vocabantur, pro varietate peccatorum et peccantium variae erant. Victima autem pro summo sacerdote, et pro populo juvencus erat. Princeps vero hircum immolabat (*Lev.* 4.). Caeremoniae horum sacrificiorum referuntur *Leviciti* C. 4.

Hujusmodi sacrificia etiam aliquibus personis in particulari praescripta erant, et quidem 1°. *Nazaraei*, qui inopinate contaminati fuerant, duos turtures aut duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum offerre debebant (*Num.* 6, 10-11.).

2°. Pro peccatis ignorantiae populi in festis novi anni, Paschatis, Pentecostis, Tabernaculorum, atque in Neomeniis, hirci sacrificandi erant (*Num.* 28, 29.). Cum Hebraei sibi persuasum haberent, plures morbos, et dolores partus, poenas esse peccatorum, debebant

3°. *Mundati a lepra* offerre agnum, aut si pauperes erant duos turtures aut duos pullos columbarum, unum pro peccato et alterum in holocaustum (*Lev.* 14, 13. 31.), atque

4°. *Puerperae* expletis diebus purificationis offerre debebant agnum anniculum in holocaustum et turturem, vel pullum columbae pro peccato. Si vero pauperes erant, loco agni offerre poterant alterum turturem, vel alterum pullum columbae in holocaustum (*Lev.* 12, 6-8.)

§. XLI.

Sacrificia Eucharistica.

684.) *Sacrificia Eucharistica*, quae etiam *Pacifica* nuncupantur, offerebantur in gra-

tiarum actionem beneficiorum a Deo obtentorum, et etiam ad nova beneficia a Deo impetranda. Animalia, hisce sacrificiis destinata, erant juvenci, vaccae, hirci, caprae, arietes et oves. Alia eorum pars concremabatur, alia sacerdotibus, et alia offerentibus victimam cedebat (*Lev. 3*, 7.).

§. XLII.
Sacrificia incruenta.

685.) Haec sacrificia generaliter fiebant ex *frumento et vino*; ex frumento facta *Immolationes* seu oblationes, et ex vino peracta *Libamina* nuncupabantur. Offerebantur ex farina triticea, et aliquando variis modis, oleo et thure, parata erant, et aliquando non (*Lev.* 2.)

Erant haec sacrificia ordinarie accessoria victimarum, excipiuntur autem,

1°. Duodecim panes propositionis, qui singulis sabbathis permutabantur, atque a solis sacerdotibus ut sacerrimi in tabernaculo vel templo manducabantur (*Lev. 24*, *5-9.*).

2°. Primitiae panum festo Pentecostis (*Lev.* 23, *17-20.*).

3°. Manipulus hordei secunda die Paschatis offerendus (*Lev. 23*, *10-11*). Et

4°. Farina, quae a paupere in sacrificium delicti offerebatur (*Lev. 5*, *11-13.*).

Oblatio vini pariter additamentum victimarum erat, quod ad basim altaris spargebatur (*Num. 15-28.*). (*t*).

(*t*) Conf. *Fl. Joseph. Antiq. Lib.* 3. *C.* 9. *et* 10.

SECTIO V.

De Ponderibus ac Nummis Hebraeorum.

§. XLIII.

De Ponderibus ac nummis Hebraeorum generatim.

686.) Antiqui Hebraei *nummis cusis* in usum commercii carentes, *argentum* et *aurum* dividebant, in bilance appendebant, ac ope lapidum ponderabant; hinc Moyses duplicia fraudulenta pondera probibens, juxta textum hebraeum: *Non habebis*, inquit, *lapidem et lapidem*, unum nempe altero ponderosiorem (*Deut. 25, 13.*). Hac de causa emptores et mercatores bilancem et lapides, juxta fixum pondus factos, in saeculo ferebant (*Deut. 25, 13. Prov. 16, 11. Mich. 6, 11.*). Pondera igitur Hebraeorum erant simul nummi non cusi; quare pondera eorum argenti et auri, atque monetae haud cusae, ad eamdem normam aestimanda sunt.

Moyses rectitudinem ponderum curaturus ac conservaturus, eorum ac mensurarum normas archetypas (*Etalons*) in sacro tabernaculo servandas tradidit (*Exod. 30, 13. Lev. 27, 25.*), ut sacerdotes juxta illas alia pondera ac mensuras probarent, eorumque rectitudinem curarent (*u*).

(*u*) Ponderum ac mensurarum normae archetypae pariter in AEgypto sacerdotum curae commissae erant, ut pondera publica ac mensuras ad illas probarent (*Clem. Alex. Stromat. Lib.* 6.). Idem apud Romanos obtinebat. *Fannius* poëta, Augusto coaevus, de Amphora ita loquitur :

Hae normae, quae quoad pondus quandoque *pondus Sanctuarii* nuncupantur, quod in tabernaculo vel templo custodiebantur, postea in templum hierosolymitanum delatae fuerunt, ubi sacerdos constitutus legitur *super omne pondus atque mensuram* (*I. Paral.* 23, 29.), ut nempe pondera publica, quae et *Regia* vocantur, quod ministri regii eorum rectitudini invigilabant, atque mensuras ad hasce normas exigeret.

Exusto autem sub *Sedecia* rege per Chaldaeos templo hierosolymitano, hae normae perierunt, atque Judaei deinceps Persis, Graecis, et Romanis subditi, horum populorum ponderibus, nummis ac mensuris assueverunt. Quare pondera, nummi ac mensurae ipsorum Hebraeorum a ponderibus, nummis ac mensuris aliorum populorum, in Libris S. occurrentibus, prope distinguenda sunt.

Cum interpretes Librorum S. voces hebraïcas et graecas ponderum ac nummorum, in Scriptura S. occurrentium, saepe reddiderint per nomina ponderum, et monetarum Romanorum ac Graecorum, quae et posteriori aevo apud Hebraeos usitata erant, oportet non solummodo Hebraeorum, sed et Romanorum atque Graecorum pondera ac monetas digno-

---

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi, Tarpeio in monte, Quirites.

Normae ponderum ac mensurarum etiam antiquitus a Christianis in ecclesiis conservatae fuerunt, ut constat ex *Justiniani Authentic. Novella* 128. *C.* 15., qui lege sanxit, ut *Pondera et Mensurae in sacratissima cujusvis civitatis ecclesia custodirentur.* Hanc legem *Valentinianus* imperator instauravit.

scere, eaquae cum ponderibus monetisque nostrarum regionum comparare, ut quae in Libris S. de ponderibus ac nummis occurrunt rite intelligantur. Quare

§. XLIV.

De Pondere Romano, Atheniensi, Trecensi ac Parisiensi.

687.) Pondus Romanorum erat *Libra*, seu *As*, quam juxta duodecim menses anni in duodecim partes, *uncias* vocatas, dividebant; quare uncia duodecima pars librae erat. Aliis insuper utebantur librae seu assis divisionibus. Sic *Semis* aut *Semissis* erat dimidium librae seu assis, *Triens* pars tertia, *Quadrans* quarta, *Sextans* pars sexta etc.

Unciae partes erant *Semi-uncia*, seu unciae dimidium, *Duella* tertia pars unciae, *Sicilicum* pars quarta, *Sextula* pars sexta, *Drachma* pars octava etc. Ita ut Libra seu As Romanorum contineret 96. Drachmas.

688.) Pondus Atheniensium erat *Δραχμη* = *Drachma*, quae octava pars erat Unciae Romanae. Centum Drachmae *Minam Atticam* constituebant, et sexaginta Minae conficiebant *Talentum*, quod consequenter 6000. Drachmarum efficiebat. Hinc *Fannius* apud Priscianum:

Accipe praeterea, parvo quam nomine Graji
Mnam vocitant, nostrique Minam dixere priores:
Centum haec sunt Drachmae. Quod si modo dempseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique Libram.

689.) Libra apud Argentarios et Aurifabros fere ubique in Europa usitata est *Libra Tre-*

censis, *Numullaria*, *Monetalis* et *Marca Trosica* (*Poids de Marc*) adpellata.

Continet haec libra duas *Marcas*, singulas quatuor Unciarum, quaelibet Uncia continet *octo Drachmas* (*Gros*), unaquaeque Drachma *tres Denarios* (*Deniers*), et quilibet Denarius continet viginti quatuor *Grana* (Grains); ita ut Uncia quaelibet contineat 576. Grana, et libra integra 4,608.

690.) *Libra Parisiensis* constat ex sexdecim Unciis; Uncia continet octo *Drachmas* (*Gros*), et quaelibet Drachma septuaginta duo *Grana* (Grains), ita ut Uncia Parisiensis constet ex 576. Granis, ut Uncia Trecensis, libra vero ex 128. Drachmis (Gros), et 9216. Granis. Uncia autem Parisiensis ponderat triginta novem Granis, et tribus quintis partibus Grani plus quam Uncia Romana.

§. XLV.

De Pondere Hebraeorum, ejusque valore generatim.

691.) Pondus Hebraeorum erat *Schekel*, unde nomen graecum *Σικλος* (Siclos), et latinum *Siclus*. Vox *Schekel* ab hebraeo *Schakal* = *Ponderare*, *appendere*, derivata est. Siclus dividebatur in viginti partes, quae *Gerach* seu *Oboli* vocantur: *Siclus viginti Obolos* (Gerah) *habet*, dicitur *Num. 18, 16.* et *Ezech. 45, 12.*

Semi-Siclus *Bekah* dicitur, atque decem *Gerah* seu *Obolos* continet. Ex Sexaginta Siclis constituebatur *Μινα*, *Μνα* = *Mina*, *Mna* (v),

(v) Conf. *Fl. Jos. Antiquit Lib.* 14. *C.* 12. 2.

et tria millia Siclorum efficiebant *Talentum*, hebraïce *Chiccar* nuncupatum (*Exod.* 38, 24-26.).

Pondus Sicli erat *quatuor Drachmarum Atticarum*, seu *Semi-Unciae Romanae*, octo enim hujusmodi Drachmae integram Unciam Romanorum efficiunt (N. 687.). Quod tale fuerit pondus Sicli hebraei patet ex *Matth.* 17, 23., ubi *Didrachma*, seu duplex *Drachma*, vocatur *Semi-Siclus* census, quem singuli Judaei quotannis pro expensis tabernaculi vel templi persolvebant (*Exod.* 30, 13.). Aliunde *Fl. Josephus*: *Siclus*, inquit, *Hebraeorum nummus*, *quatuor Drachmas Atticas complectitur* (*x*). *Hieronymus* vero: *Siclus*, ait, *id est Stater*, *habet Drachmas quatuor* (*y*).

Septuaginta Interpretes hebraeum *Schekel* seu *Siclum* quandoque per Διδραχμον = *Didrachmum*, seu duas Drachmas reddunt, et *Philo* Hebraeus *Semi-Siclo* unam Drachmam tribuit. Hinc nonnulli existimarunt duas Siclorum species apud Hebraeos fuisse. *Siclum* nempe commuuem, *publicum et regium* dictum, quem duas Drachmas Atticas valere dicebant, et *Siclum Sanctuarii*, cui quatuor Drachmas Atticas attribuebant. Verum ista Siclorum distinctio ruit, eoquod una Drachma Alexandriae in AEgypto usitata, teste *Varrone*, contineret duas Drachmas Atticas (*z*). *Septuaginta* vero *Interpretes*, uti et *Philo*, qui scripserunt Alexandriae Drachmam Alexandrinam adhibuerunt ad Siclum hebraeum aestimandum.

(*x*) *Fl. Jos. Antiq. Lib.* 3. *C.* 9.

(*y*) *Hier. in Ezech. C.* 4. Conf. et ejus *Comment in Matth. C.* 17.

(*z*) Conf. *Varron. Lib.* 4. *de Ling. Lat.*

Siclus etiam aliquando per *Staterem* redditur *Matth. 17, 26.*, eoquod Stateri aequivalebat.

§. XLVI.

De valore Sicli hebraici in particulari.

692.) Ex dictis *Siclus* Hebraeorum ponderat quatuor Drachmas Atticas, seu Semi-Unciam Romanam; hae vero aequivalent ducentis sexaginta sex Granis cum triginta quatuor trigesimis quintis Grani partibus *Librae Trecensis* et *Parisiensis.*

Siclus argenteus et aureus ejusdem apud Hebraeos erant ponderis. Siclus in Libris S. frequenter subintelligitur, simpliciterque dicitur *Argenteus*, ut quando refertur *Judam Iscariotem* retulisse ad principes sacerdotum *triginta argenteos*, quibus Christum diviendiderat (*Matth. 27, 3.*).

Siclus Argenteus, puti argenti, valet triginta duos Asses (*Sols*), quinque Denarios (*Deniers*) et tertiam Denarii partem monetae gallicae.

Siclus vero *Aureus*, puti auri, valet viginti tres Libras gallicas (*Livres*), quatuor Asses (*Sols*), et quatuor Denarios (*Deniers*) (*a*). Hae autem Siclorum aestimationes omnino exactae haud sunt, eoquod diversa sit argenti aurique siclorum puritas, et ponderis accuratio.

§. XLVII.

De Nummis cusis Hebraeorum.

693.) Mercatura antiquitus exercebatur per-

(*a*) *Calmet: Dict. de la Bible art. Sicle d'or.*

mutatione mercium, aliarumque rerum praesertim superfluarum. Postea autem metalla adhibita fuerunt, utpote quorum valor intrinsecus ab omnibus agnoscebatur. Metalla haec originetenus secabantur, et secta appendebantur. Tandem cusa atque nota insignita fuerunt. AEvo *Homeri*, qui V. saeculis post Moysen, et X. ante Christum floruit, commercia adhuc per variarum rerum mutationem potissimum exercebantur. Homerus enim *Iliad.* Lib. H. *V.* 472. de Achivis ementibus vinum canit:

Alii aere, alii splendido ferro,
Alii pellibus, alii ipsis bobus,
Alii mancipiis etc.

Plinius ad hunc Homeri locum respiciens, (*b*) scribit: *Quantum feliciori aevo, cum res ipsae permutabantur inter se, sicut et Trojanis temporibus factitatum, Homero credi convenit; ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa. Alios coriis boum, alios ferro, captivisque rebus emptitasse, tradit* (*c*).

Jam aetate *Abrahae Siclorum* occurrit mentio, et *Gen.* 23, 16. legitur, hunc Patriarcham emisse ab *Ephrone* campum, in quo defunctam suam conjugem *Saram* sepeliret, *quadringentis Siclis argenti probatae monetae publicae*, seu potius, ut LXX. Interpretes conformiter ad textum hebraeum habent, quadringentis Siclis *αργυριον δοκιμου εμποροις* = *argenti probati mercatoribus*. Posteriori aetate *Joseph* a suis fratribus diven-

---

(*b*) *Plin. Hist. Nat. Lib.* 33: *C.* 1.

(*c*) Conf. *Aristotelem Moral. Lib.* 5. *C.* 8. et *Politic. Lib.* 1. *C.* 6.

ditur Ismaëlitis *viginti argenteis*, Juxta textum hebraeum, *viginti Siclis argenti* (*Gen.* 37, 28.).

Verum in his textibus, atque in illis, qui posteriori adhuc aevo in Libris S. occurrunt, quaestio non est de *moneta ab Hebraeis cusa*, notaque insignita. Nullibi quid reperitur de forma aut figura nummorum, qui ab Hebraeis cusi fuissent, monetae tamen nomen suum ordinarie desumunt a principe, animali, aut figura, quae in illis exhibentur. Immo in textu originario Scripturae S. nequidem commemorantur nummi signati Hebraeorum usque ad tempora Machabaeorum, ubi *Antiochus Sedetes Simoni Machabaeo* summo Judaeorum sacerdoti nummos cudere permisit. In textu primitivo occurrunt dumtaxat *Siclus*, *Talenta* etc. quae erant pondera, non vero monetae signatae.

Hosce Siclos, Talenta etc. fuisse pondera, Hebraeosque usque ad Machabaeorum tempora nummos non cudisse, patet

I°. Quod Sicli, talenta etc. ante aevum Machabaeorum appenderentur: sic 1°. ponderabantur isti quadringenti Sicli, quibus Abraham praefatum campum emerat: *Abraham appendit pecuniam*, seu argentum, ait Moyses (*Gen.* 23, 16.). 2°. Filii Jacobi Patriarchae referunt Josepho fratri *argentum in pondere suo* (*Gen.* 43, 21.). 3°. Inaures, quas *Eliezer* Rebeccae obtulit, appendebant *Siclos duos* (*Gen.* 24, 22.). 4°. Moyses scribit quod a Judaeis pro tabernaculo oblata fuerint *aeris Talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra Sicli, ex quibus*, addit, *fusae sunt bases in introitu tabernaculi testi-*

monii, et altare aeneum (Exod. 38, 29-30.). 5°. *Isaias* de impiis: *Qui confertis aurum de sacculo*, inquit, *et argentum statera ponderatis* (Isaiae 46, 6.). 6°. *Jeremias*, qui tempore captivitatis babylonicae septuaginta annorum vixit, pretium agri, quem ab *Hanameel* emerat, ponderavit: *Appendi ei*, ait, *argentum septem stateres, et decem argenteos* (Jerem. 32, 9-10.). Hinc 7°. Propheta *Amos* mercatores fraudulentos inducit se invicem hortantes ad diminuendas venditionis mensuras, et ad augenda pondera, juxta quae reciperent solutionem: *Imminuamus mensuram, augeamus Siclum, supponamus stateras dolosas* (Amos 8, 5.)

Génesis 33, 19. et *Job. 42, 11.* in textu habraeo occurrit vox *Kesitah*, quae ab *auctore Vulgatae, LXX. Interpretibus, et Onkelo* per *agnum* seu *ovem* reddita fuit. Existimarunt equidem nonnulli, *Kesitah* fuisse monetam figura agni insignitam. At cum tempore *Jacobi* Patriarchae, qui *Gen. 35, 19.* centum *Kesitach* seu *agnos* in solutionem empti agri dedit, monetae signatae haud existerent, oportet *Kesitah* fuisse certum pondus argenti, si non designet *agnum* seu *ovem*.

Ex probatis igitur sequitur, Hebraeos usque ad captivitatem septuaginta annorum apud Babylonios argentum et aurum in solutionem rerum emptarum ponderasse pondere *Sicli*, *Talenti* etc., nummosque cusos non habuisse.

II°. Judaei tempore captivitatis septuaginta annorum apud Chaldaeos profecto nummos haud cuderunt, sed Chaldaeorum monetis assuéverunt. Ex hoc longo exilio reduces exiguum populum constituerunt, Persis, ac de-

in Graecis usque ad Machabaeorum tempora subjecti fuerunt, atque horum populorum nummis cum propriis suis ponderibus usi sunt. *Antiochus Sedetes* vero, rex Syriae, anno 138°. ante Christum natum permisit *Simoni*, summo Judaeorum sacerdoti, ut monetas proprias cuderet: *Permitto tibi*, scribebat illi; *facere percussuram proprii numismatis in regione tua* (*I. Mahh.* 15, 6.).

Ab hoc tempore, quo populus Judaeus a jugo exterarum nationum in libertatem vindicatus fuit, *Simon* proprios nummos cudit, ejusque successores continuarunt usque ad Principum *Herodum* tempora, ubi characteres graeci nummis, imprimi coeperunt.

Aliqui existimant, populum hebraeum jam proprios nummos cudisse anno 136°. ante C. N., seu duobus annis ante facultatem ab Antiocho Sedete Simoni concessam, hosque nummos notatos esse: *Siclus Israël*, nummos vero, quos Simon duobus post annis cudit, ipsius nomen exhibere; alii vero adfirmant utrosque nummos a Simone factos esse. Conf. N. 695.

§. XLVIII.

Pondera ac nummi in V. F. occurrentia.

694.) In Veteri Foedere occurrunt

I°. *Chiccar* seu *Talentum* Exod. 37, 24. (Conf. N. 691.)

II°. *Mina* seu *Mna* III. Reg. 10, 17. (Conf. N. 691.).

III. *Schekel* seu *Siclus* Gen. 20, 16. (Conf. N. 692.).

IV.) *Bekah*, dimidia pars *Sicli*, (Exodi 30, 13.). Singuli Judaei quotannis *Semi-Si-*

clum in expensas tabernaculi vel templi persolvere debebant (*Exod. 30, 13.*). Valebat *Bekah* circiter sexdecim Asses (*Sols*), et duos Denarios (*Deniers*) cum dimidio monetae gallicae.

V°. *Schlischith Ha-Schekel*, tertia pars Sicli, (*II. Esdrae 10, 32.*). Valebat circiter decem Asses gallicos (*Sols*) et septem Denarios (*Deniers*).

VI°. *Rebhah Schekel*, quarta pars Sicli, (*I. Reg. 5, 8.*). Valor ejus est octo Assium (*Sols*), et unius circiter Denarii (*Denier*).

VII°. *Gerah*, vigesima pars Sicli, (*Exod. 30, 13.*). Valebat unum Assem (*Sol*), et septem circiter Denarios (*Deniers*).

VIII°. *Kesitah* (Gen. 33, 19.) pondus antiquissimum, atque simul nummus non signatus, ignotae quantitatis.

IX°. *Darkemon* seu *Darcemon*, *Adharkon* seu *Adharcon*. Darkemon, cujus pluralis *Darkemonim* occurrit *a*) *I. Esdr. 2, 69.* ubi est ex auro, et ab Interprete latino per *Solidos* vertitur, *b*) *II. Esdr. 7, 70, 71, 72.*, quibus in locis ab Hieronymo per *Drachmas* redditur.

Adharcon, unde pluralis *Adharconim*, reperitur *I. Esdr. 8, 27.* et *I. Paral. 29, 7.* In duobus istis locis ab Interprete latino denuo per *Solidos* vertitur. LXX. Interpretes *Darkemon* et *Adharcon* modo per *Δραχμας*= *Drachmas*, modo per aliam monetam reddunt.

Darkemon et *Adharkon* videntur fuisse *Daricus*, nummus aureus Persarum famosus. Nummus iste equidem *I. Paral. 29, 7.* aevo Davidis occurrit, sed auctor librorum Pa-

ralipomenon, qui post captivitatem babylonicam vixit, pondus seu nummum haud signatum Hebraeorum juxta monetam Persarum aestimavit, ac per *Daricum* expressit.

Cl. *Pelletier* et *Calmet* existimant, Daricum aureum valere undecim Libras (*Livres*), undecim Asses (*Sols*), et novem Denarios (*Deniers*), cum quadrante monetae gallicae (*d*). Alii vero Daricum multo majoris valoris esse statuunt. Juxta *D. Bernard* Daricus pondere duorum granorum superabat *Guineam* (Guinée) (*e*).

Darici, seu *Darii* aurei, ita nuncupati fuerunt juxta alios a voce persica regem significante, quod nempe pecunia regia esset, regisque effigiem exhiberet, juxta alios quod a *Dario*, Histaspis filio, cusi sint, sed verisimilius ita adpellati fuerunt, quod a *Dario Medo* jam antea procusi fuerint.

Darici ex auro puro confecti erant, atque per plura saecula omnibus Orientis nummis praelati fuerunt. Exhibebant una parte effigiem regis, et parte altera sagittarium tiara acuminata ornatum, dextra sagittam, et sinistra arcum tenentem (*f*).

§. XLIX.

Pondera ac Nummi in N. F. occurrentia.

695.) In Novo Foedere reperiuntur

I°. Στατηρ = *Stater* (Matth. 17, 27.)', qui

(*d*) *Calmet*: *Dict. de la Bible art. Darcmonim*, et *Comment. in I. Esdr.* 8, 27.

(*e*) *Bern. de Ponderibus et Mensuris antiq.*

(*f*) Vide *Plutarchum in Artaxerxe*.

praecipua moneta Graecorum erat. Ex *Matth.* 17, 26. patet, illum ponderasse quatuor Drachmas Atticas, duos Semi-Siclos, seu Siclum integrum Hebraeorum, cum Christus Staterem pro suo et Petri censu persolvi jusserit (Conf. N. 691.). Pondus igitur illius erat ducentorum sexaginta sex Granorum (*Grains*) cum triginta quatuor trigesimis quintis Grani partibus Librae Trecensis, et Parisiensis. Consequenter valor Stateris argentei aequalis erat valori Sicli argentei Judaeorum, seu valebat triginta duos Asses (*Sols*), quinque Denarios (*Deniers*), et tertiam Denarii partem monetae gallicae.

Multi *Stateres* adhuc supersunt, quo autem recentiores sunt, eo sunt pulchriores, sed etiam leviores; sumptus nempe excusionis in valorem computati fuerunt.

Exhibent *Stateres* una parte caput *Minervae*, et parte altera *Noctuam* et monogramma aut nomen.

Simon, summus Judaeorum sacerdos, anno 138. ante Christum natum ad pondus Stateris *Siclos* cudit, qui sunt prima moneta signata Hebraeorum (Conf. N. 693.). Lis agitata fuit, utrum Sicli Hebraeorum superstites sint genuini. Modo autem pro genuinis habentur ii, qui exhibent *Characteres Samaritanos*, qui primitivi characteres Hebraeorum, Chanaeneorum seu Phoenicum fuerunt, quique in Judaea, Samaria et Phoenicia ad commercia communissime adhibebantur; quare Sicli recentiori charactere hebraeo insigniti recentes ac spurii sunt, quamvis forte etiam nonnulli Characteres Samaritanos refe-

rentes recentiori aetate ad veterum Siclorum imitationem procusi sint.

Figurae, quae in Siclis conspiciuntur sunt palma, nux pinea, quandoque spicae, manipulus, pampinus, botrus, flos, ramus amygdalinus, vas, quod alii *Gomor*, quo Manna adservabatur, et alii vas ministerio templi destinatum, esse volunt (g). Signatio Siclorum est varia, aliqui circum vas habent: *Siclus Israël*, et ex altera parte circum virgam Aaronis: *Jerusalem Sancta*.

II°. *Διδραχμον* = *Didrachmum* seu *Didrachma* (Matth. 17, 23.), pondus ac nummus Graecorum, qui valebat duas Drachmas Atticas, seu Semi-Staterem aut Semi-Siclum. Valor ejus consequenter erat sexdecim Assium (*Sols*), et duorum circiter Denariorum (*Deniers*) cum dimidio monetae gallicae.

III°. *Δραχμη* = *Drachma* Luc. 15, 8, 9.),

(g) Apud Romanos aes primitus insignitum fuit nota *pecudum*, atque hinc nomen pecunia, ut fertur, descendit: *Signatum est*, ait Plinius, *nota pecudum*: *unde et pecunia appellata* (Hist. Nat. Lib. 33. C. 3.). Primus, qui apud Romanos aes signavit, fuit *Servius*, sextus rex Romanorum, versus annum 533. ante Christum occisus: *Servius rex primus signavit aes*, inquit Plinius *Loc: Cit.* Conf. *Varron. de Re Rustica Lib. 2. C. I.* (Conf. N. 94. *n.*). Plutarchus *antiquissimis numismatibus aut bovem, aut ovem aut suem* insculptum fuisse scribit (*Plut. in Publicola*). Apud Peloponnesios nummus erat figura *Testudinis* insignitus, unde antiquum proverbium: *Virtutem ac sapientiam Testudines superant.* Atheniensibus nummus erat effigie *Bovis* notatus, quare juxta priscum adagium dicebatur: *Bos in lingua*, adversus eos, qui pecunia corrupti veritatem silebant. Ob *Noctuam* vero Stateri impressam antiquitus proverbialiter dicebatur: *Noctua* volat, dum pecunia negotiis agendis interveniebat.

pondus et nummi genus Graecorum. Quarta erat Stateris pars, valebatque octo asses (*Sols*), et unum circiter Denarium (*Denier*). Drachma Alexandrina duplum Drachmae Atticae erat (Conf. N. 691.).

IV°. *Αργυριος* = *Argentum*, seu *Argenteus* (Matth. 26, 15.), Siclum argenteum designat (Conf. N. 692.).

V°. *Δηναριον* = *Denarius* (Matth. 18, 28.), nummus argenteus Romanorum, ita vocatus, quod pro decem Assibus in solutionem cedebat. Pondere aequabat *Drachmam*, proinde quartam partem valoris *Sicli*, seu octo Asses (*Sols*), et quid amplius monetae gallicae valebat. Communiter autem decem Assium gallicorum (*Sols*) statuitur. *Marcus* (12, 15.) et *Lucas* (20, 24.) *Denarium* nuncupant nummum argenteum, qui pro capitatione Romanis in Judaea persolvebatur, et *Matthaeus* hunc Denarium vocat *Numisma census* (22, 19.).

Denarius erat diurnum militis apud Romanos stipendium, ut *Tacitus* refert, quemadmodum *Drachma* erat diurnum stipendium militis apud Athenienses, teste *Thucidide*. Denarium pariter merces fuit conductorum in vineam (*Matth. 20, 2.* etc.).

Antiqui Denarii exhibent una parte deam *Romam* seu *Victoriam*, et altera parte *currum*, cui duplex equorum jugum junctum est. Posteriori aevo effigies Caesaris in Denariis conspiciebatur, ut liquet ex Denario, qui Christo oblatus fuit (*Matth. 22, 19-21.*).

VI°. *Ασσαριον* = *Assarius*, qui ab Interprete latino *Matth. 10, 29.* per *Assem* vertitur, a *Luca* autem 12, 6. duo Assarii per

Dipondium redduntur. Erat nummus aeneus Romanorum, valebatque dimidium Assis Romani. Cum vero As juxta *Tacitum*, *Priscianum* et alios decima esset pars Denarii Romani, valeretque octo circiter, vel decem Denarios gallicos (*Deniers*), valebat Assarius quatuor circiter, vel quinque Denarios gallicos. Nonnulli existimant, Assarium quartam dumtaxat partem Assis fuisse, atque valuisse, duos circiter, vel duos cum dimidio Denarios (*Deniers*). Aliqui Assarium Assi aequarunt.

Interpres latinus *Matth.* 10, 29. *Assarium* per *Assem* reddidit, quia veteres Assarium et Assem promiscue dicebant. *Lucas* vero 12, 6. duos *Assarios* per *Dipondium*, seu duplex *Pondo*, vertit, quod olim *Libra* seu *Pondo As* vocaretur. *As* unius Librae seu Pondo esset, atque As pro Assario antiquitus diceretur.

Assarius una parte exhibebat olim effigiem *Jani*, et postea Caesaris, parte vero altera *Puppim*.

VII°. *Κοδραντης* = *Quadrans* (Math. 5, 26.), nummus aeneus Romanorum, qui quarta pars Assis, seu dimidium Assarii erat, valebat proinde duos circiter, vel duos cum dimidio Denarios gallicos (*Deniers*).

VIII°. *Λεπτον* = *Minutum* (*Luc.* 21, 2.), nummus aereus Graecorum, qui dimidium *Quadrantis* erat, valebat proinde unum circiter Denarium gallicum (*Denier*). Hinc *Marcus* 12, 42. referens, pauperem viduam in Gazophylacium misisse *duo minuta*, addit, *quod est quadrans*.

IX°. *Λιτρα*, seu *Libra*, quoad pondus pro

diversitate regionum variabat. Merces vero plerumque vendebantur juxta libram regionis ex qua advectae erant. *Libra* autem in Scriptura S. occurrens *Libra Romana* esse videtur, duodecim unciarum (Conf. N. 687.).

§. L.

Pondera ac Nummi in Textu Latino adhuc occurrentia.

696.) Praeter pondera ac nummos recensitos in textu latino occurrit

1°. *Agnus*, seu *Ovis* (Gen. 33, 19. Job. 42, 11.), qui pondus et nummus non cusus ignotae quantitatis fuit (Conf. N. 693.).

2°. *Obolus* (Exod. 30, 13.), qui valet vigesimam partem Sicli, et *Gerah* aequalis est (Conf. N. 694.).

3°. *Solidus* (I. Esdr. 2, 69. 8, 27.), nummus aureus Romanorum, qui ita nuncupatus fuit, quod justo pondere esset percussus, non dimidiato aut trientali, quemadmodum Semisses et Tremisses. Appendebat duas Drachmas Atticas, seu Semi-Siclum Hebraeorum, consequenter valebat undecim Libras (*Livres*), duodecim Asses (*Sols*), et duos Denarios (*Deniers*) monetae gallicae.

SECTIO VI.

De Mensuris Hebraeorum.

§. LI.

De Mensuris longitudinis generatim.

697.) Omnes antiqui populi, *Hebraei* nempe, *Graeci*, *Romani* etc. mensuras longitu-

dinis, ut *Digitos*, *Palmos*, *Cubitos*, *Passus*, *Pedes* etc. a çorpore humano desumpserunt, ut vel eorum nomina testantur. Non tamen eamdem hae mensurae apud omnes populos longitudinem habuerunt, quod scilicet varium corpus humanum in illis ab eo desumendis attentum fuerit. Ad faciliorem mensurarum longitudinis notitiam quinque versus sequentes, quibus mensurae longitudinis Romanorum exprimuntur, attendendi sunt:

Quatuor ex granis DIGITUS *componitur unus.*
Est quater in PALMO *digitus, quater in* PEDE *palmus.*
Quinque pedes PASSUM *faciunt. Passus quoque centum*
Quinque et viginti STADIUM *dant: sed* MILLIARE
Octo dabunt stadia, et duplicatum dat tibi LEUCAM.

Per *Leucam* hic intelliguntur duo millia passuum geometricorum, seu *Milliare Gallicum*, duas tertias partes unius horae continens.

§. LII.

Mensurae longitudinis Hebraeorum.

698.) Mensurae longitudinis apud Hebraeos sunt

I°. *Digitus* (Jerem. 52, 21.), seu *Pollex*, hebraïce *Etzbah* dictus. Est latitudo digiti, seu spatium quatuor granorum hordei. Adaequat circiter octo Lineas Parisienses cum quadrante (*h*). Inde caeterae mensurae Hebraeorum ad mensuras Parisienses facile reduci poterunt.

(*h*) Continet Pes Parisiensis duodecim *Pollices* (Pouces), et quilibet Pollex duodecim *Lineas* (Lignes). Sex Pedes *Orgyam* seu Sexpedam (Toise) constituunt.

II°. *Palmus Minor* (I. Paral. 4, 5.), hebraïce *Tophah*, seu *Tophac*, et graece *Δοχμη* = *Dochme* dictus. Est spatium quatuor Digitorum.

III. *Spithama*, seu *Palmus Major*, hebraïce *Zereth* nuncupatus (I. Reg. 17, 4.), erat spatium trium Palmorum minorum, seu duodecim Digitorum. Est autem illud spatium, quod extensis digitis inter pollicem et digitum minimum seu auricularem continetur.

IV. *Pes* hebraïce *Paam*, est spatium quatuor Palmorum minorum, seu sexdecim Digitorum.

V. *Cubitus*, hebraïce *Amma*, et juxta alios *Gometh*, dictus, (Deut. 3, 11.), continebat sex Palmos minores, seu viginti quatuor Digitos. Nonnulli hunc Cubitum *Vulgarem* dicunt, atque alium Cubitum, quem *Sacrum* vocant, statuunt. Huic septem Palmos, seu viginti octo Digitos adsignant. *Hesychius* et *Suidas* Cubito pedem cum dimidio adscribunt. Cubitus autem a *Polluce* definitur *Mensura, quantum a flexura cubiti usque ad summitatem medii digiti intervallum patet.*

VI. *Canna*, seu *Calamus Mensorius* (*Ezech.* 42, 16.) hebraïce *Kana* dicta, sex Cubitis, seu centum quadraginta quatuor Digitis definiebatur.

VII. *Stadium* (Joan. 6, 9. 11, 18.), mensura graeca et romana ab Hebraeis adoptata, est spatium centum viginti quinque Passuum Geometricorum, seu 625. Pedum; quinque enim Pedes Passum Geometricum constituunt.

VIII. Milliare Romanum, graece *Μιλιον* = *Milion*, aequabat mille Passus Geometricos, seu octo Stadia (*Matth.* 5, 41.), quae confi-

ciunt pariter *Milliare Italicum*. *Milliare Gallicum* commune, seu Leucam communem, viginti Stadia, seu duo millia et quingenti Passus Geometrici constituunt. *Leuca* unius horae viginti quatuor Stadiis, seu tribus millibus Passuum Geometricorum constat: *Milliare* vero *Germanicum* triginta duo Stadia, seu quatuor millia Passuum Geometricorum conficiunt.

Parasanga, mensura viarum apud Persas, triginta Stadiorum juxta *Herodotum* (*i*), et juxta *Strabonem* quadraginta, et etiam sexaginta Stadiorum erat (*k*).

IX. *Iter Sabbathi* (Act. 1, 12.), erat spatium circiter mille Passuum Geometricorum, seu 5000. Pedum.

X. *Iter Diei* modo majus, modo minus erat, Medium vero apud Romanos erat centum quinquaginta vel centum sexaginta Stadiorum (*l*).

§. LIII.

Mensurae aridorum et liquidorum apud Hebraeos.

699.) Mensurae aridorum et liquidorum apud Hebraeos usitatae erant

I°. *Bath*, *Bathus*, seu *Batus* (III. Reg. 7, 26.), mensura liquidorum erat. Rabbini, qui mensurarum suarum capacitatem ovis definiunt, ajunt, Batum capacitatem 432. ova gallinacea capiendi habuisse. AEquabat Bati

(*i*) *Herod. Lib.* 2. *C.* 6. *Lib.* 5. *C.* 53.
(*k*) *Strab. Lib.* 10.
(*l*) *Herod. Lib.* 5. *C.* 53.

capacitas circiter 29½. Pintas Parisienses (*Pintes.*).

II°. *Epha* vel *Ephi* (Exod. 16, 36.), mensura aridorum, ejusdem capacitatis ac Batus erat.

III°. *Μετρητης* = *Metreta* (Joan. 2, 6.), mensura graeca liquidorum ejusdem cum Epha et Bato capacitatis.

IV°. *Homer*, seu *Gomor*, vel *Assarion*, mensura aridorum decima pars Ephae erat (*Exod.* 16, 36.). Capiebat quantum de *Manna* pro victu quotidiano unicuique adsignabatur (*Exod.* 16, 16.). Rabbini ejus capacitatem definiunt 43⅕. ovis. Capacitas illius aequabat circiter 3. Pintas Parisienses.

V°. *Sea*, seu *Σατον* = *Satum* (I. Reg. 25, 18. Matth. 13, 33.), mensura aridorum, tertia pars Ephae erat. Rabbini ejus capacitati 144. ova gallinacea adsignant. AEqualis erat illius capacitas circiter 9½. Pintis Parisiensibus.

VI°. *Kabh*, seu *Καβος* = *Cabus* (IV. Reg. 6, 25.), parva mensura pro aridis erat, quae adhuc in partes dividebatur (*Loc. Cit.*). Rabbin ajunt, Cabum capere potuisse 24. ova gallinacea. Sexta pars sati, et decima octava pars Ephae erat. Ipsius capacitas erat circiter unius Pintae Parisiensis cum tribus ejus quartis partibus.

VII°. *Logh*, seu *Logus* (Lev. 14, 10-12.), mensura liquidorum, quarta pars Cabi erat (IV. Reg. 6, 25.), atque omnium fere mensurarum Hebraeorum minima. Capiebat 6. ova gallinacea juxta Rabbinos.

VIII°. *Chomer*, seu *Cor*, aut *Corus* (Oseae 3, 2.), mensura aridorum, decem Ephas continebat.

IX°. *Lethech*, mensura aridorum, dimidium Cori erat (*Oseae 3, 2.*), et quinque Ephas capiebat.

X°. *Nebel* tres Batos continebat.

XI°. *Hin*, mensura liquidorum, sexta pars Bati erat.

XII°. *Simi-Hin*, duodecima pars Bati erat.

XIII°. *Betzah*, seu *ovum*, quo Rabbini quandoque utebantur, sextam partem Logi capiebat.

§. LIV.

Mensurae in Textu Latino insuper occurrentes.

700.) In textu Vulgatae adhuc occurrit

I. *Amphora* (Dan. 14, 2.), quae liquidorum mensura erat Romanorum et Graecorum. AEqualis erat Ephae (Conf. N. 699.). In aliquibus autem locis Vulgatae pro mensura indefinita ponitur.

Amphora Romana continebat duas *Urnas* (*m*), seu 48. Sextarios Romanos, aut 80. Libras Romanas singulas 12. unciarum.

Amphora autem *Attica*, seu Atheniensis, ex tribus *Urnis* constabat (*n*), seu 72. Se-

---

(*m*) Hinc *Fannius* canit:

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacraveve Jovi, Tarpeio in monte, Quirites.
Hujus dimidium fert URNA, *ut et ipsa Medimni.*

(*n*) *Fannius* Amphoram Atticam cum Amphora Romana comparans ait:

Attica praeterea dicenda est Amphora nobis;
Hanc autem facies, nostrae si adjeceris U

xtariis, aut 120. Libris Romanis singulis 12. unciarum.

II. *Artaba* (Dan. 14, 2.), mensura liquidorum apud Babylonios usitata, quae juxta *Epiphanium* (o), et *Isidorum Hispalensem* (p) 72. Sextarios (*Setiers*) continebat. Alii vero ejus capacitatem aliter definiunt.

III. *Bilibris* (Apoc. 6, 6.). Adaequabat duas Libras Romanas. In textu graeco *Apoc. 6. 6.* reperitur *Χοινιξ* = *Choenix*, ubi Choenix minima intelligenda videtur. Choenix, mensura graeca, communiter capiebat quantum alicui quotidie pro victu adsignabatur, qualem villicis praescribit *Cato* (q). Choenix autem hinc inde variabat.

IV. *Cadus* (Luc. 16, 6.) liquidorum mensura Romana, ejusdem cum Bato capacitatis (Conf. N. 699.).

V. *Decima* (Lev. 14, 10.) designat decimam partem Ephae, aut mensuram *Gomor* (Conf. N. 699.).

VI. *Laguncula*. Per hanc vocem hebraeus *Bath* seu *Batus* redditur *Isaïae 5, 10.*

VII. *Modius*, ab Interprete latino modo sumitur pro cujusvis mensurae specie, modo pro *Sato*, et aliquando pro *Epha* (Conf. N. 699.). Modius mensura erat Romanorum pro aridis, et aequabat tertiam partem Amphorae, seu pedis cubici romani.

VIII. *Mensura* nomen generale est: quandoque adhibetur pro *Epha*.

IX. *Sextarius* (Lev. 14, 12.) mensura ro-

(o) *Epiph. de Ponderibus et Mensuris.*
(p) *Isidor. Lib.* 16. *Origin.*
(q) *Cato de Re Rustica C.* 56.

mana, liquidis mensurandis ordinarie inserviens: aequivalebat *Logo* Hebraeorum (Conf. N. 699.).

§. LV.

Utilitas studii Scripturae S.

701.) Utilitas, quae ex studio Librorum S. redundat, est ingens, atque in studentis ac proximi bonum cedit. Debito enim studio Scripturae S. incumbens, Dei Ter Optimi Maximi omnipotentiam, providentiam in omnia, et praesertim in genus humanum, atque misericordiam admiratur. Contemplatur arcana illa Dei consilia, quibus humani generis misertus, ipsum in spem restitutionis in pristinae felicitatis spiritualis statum erigit, ei redemptorem adpromittit, illi appropinquantem suae redemptionis epocham successive revelat, salutarem coelestemque doctrinam impertitur, atque tandem in plenitudine temporis mittit divinum suum filium, qui morte sua cruenta peccato nostrorum protoparentum expiato, clausas dudum coeli portas adaperit. *Attende tibi*, scribebat Doctor Gentium charo suo Timotheo, *et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt* (*r*). Sacerdos igitur corde puro, diligentique attentione animum Scripturae S. intendens, primo semetipsum *salvum faciet*. Et quid ad Deum verendum, divinam ejus legem observandam, veramque felicitatem consequendam aptius est quam studium illorum librorum, qui inspiran-

(*r*) *I. Timoth.* 4, 16.

te Spiritu S. exarati fuerunt? Deus in illis exhibetur ut potentissimus atque justissimus, qui violationem suae legis ad nutum punire potest, quandoque in hac vita plectit, semper post hanc vitam sine poenitentia peractam punit, legis vero suae observantiam semper remunerari est paratus, in hujus vitae decursu semper spiritualiter, et frequenter etiam felicitate terrena, compensat, atque semper in altera vita liberalissime, modoque supremi Numinis digno remuneratur. Haec tot illustrantur historiis et exemplis, ut qui ea sedulo perlegit commoveri, et ad bonum ac ad divinae legis observantiam incitari debeat.

In Libris S. quodammodo conversamur cum sanctis illis viris, et Dei amicis, qui licet vita mortali functi, in suis scriptis sunt superstites, in iis nos instruunt, monent, hortantur, incitamenta et exempla virtutum tradunt, nobisque viam ad coelestem patriam commonstrant.

In Scriptura S. Novi Foederis majestas divini fundatoris sacrosanctae nostrae religionis nos in admirationem ac stuporem agit, sanctitas, simplicitas, et sublimitas ejus doctrinae cor ipsum rapiunt, commovent ac ad virtutem incitant. Contemptus gloriae Apostolorum Christi, commodorum neglectus, paupertas voluntaria, amor et reverentia, quibus divinum suum magistrum prosequuntur, ardens illud studium, quo coelestem ejus doctrinam propagant, labores ac persecutiones, quas in defensionem illius ultro patiuntur, et mors violenta, quam pro veritate illius subeunt, aptissima sunt ad nos a rebus terrenis ac perituris avellendos, Deo Christoque totos tradendos, dignosque ministros Christi constituendos.

Sacerdos modo debito Scripturae S. studio operam navans, non dumtaxat semetipsum salvum facit, sed etiam *eos, qui illum audiunt*, seu quorum cura illi est concredita. Assidua enim lectione Librorum S. spiritu eorum imbutus, exemplo Jesu ejusque discipulorum propria commoda commodis aliorum postponet, eis officia sui status praeferet, vanae gloriae non inhiabit, divitiis non studebit, munia vires superantia ob lucrum non quaeret, sed amore Dei ac Christi inflammatus, et ardenti animarum zelo aestuans, erit *omnibus omnia factus ut omnes faciat salvos* (*s*).

Sacerdos spiritu legis divinae ornatus sua vivendi norma inimicorum religionis catholicae tollet calumnias, maledicentias ac dicteria. Delebit funestam illam ideam, quae multorum animis infelici nostro aevo insedit, sacerdotes aliter praedicare et aliter agere, eos statum ecclesiasticum amplexos esse, ut quo facilius viverent haberent, ipsos verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare, eoquod officia id exigentia in se se susceperunt etc. Ratione suae vitae ostendet, se sub Ecclesiae Christi vexillis militare ad suum et proximi progressum moralem, felicitatemque aeternam promovendam ac consequendam, ad legem divinam, voluntatemque supremi Numinis aliis manifestandam, veram fidem propagandam, offensiones Dei diminuendas ac evitandas, ad per imitationem Jesu Christi aliis bona exempla praebenda, atque per sacramentorum sedulam administrationem saluti aliorum efficaciter cooperandum. Terrenis cu-

(*s*) *I. Corinth.* 9, 22.

piditatibus erit superior, talenta sibi a Deo concredita diligenter excolet, et cum fructu adhibebit, difficultatibus sui status, tribulationibus ac persecutionibus non turbabitur, sed cum *D. Paulo* dicet: *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consumem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei* (*t*). De promissionibus ac munifica liberalitate Dei convictissimus, mercedem laborum et tribulationum non ab hominibus sed a Deo solo expectabit, atque cum *Doctore Gentium* dicet: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt: quae autem non videntur aeterna sunt* (*u*).

§. LVI.

Incitamenta ad studium Librorum S.

702.) Scriptura Sacra est juxta *S. Gregorium M.* (*v*) epistola misericordissimi Dei ad suas creaturas rationales. In illa arcana supremi Numinis mysteria, ejus divina in humanum genus consilia, atque uberrima salutis media sunt recondita. Libri omnes Scripturam S. constituentes, Deo inspirante conscripti sunt (N. 34-43.), Deumque proinde au-

---

(*t*) *Act.* 20, 24.
(*u*) *II. Corinth.* 4, 17,18.
(*v*) *Greg. M. Lib.* 4. *Epist.* 84.

ctorem habent. Dignitas consequenter Scripturae S. maximum et primarium est *incitamentum* ad Clericos assiduo diligentique illius studio addicendos. Dignitas haec Scripturae S. clarissime elucet ex iis, quae de Librorum S. divinitate N. 34-43. disseruimus, sed magis adhuc innotescet per ea, quae de ejus objecto in particulari hic paucis trademus.

In Libris S. inter alia occurrunt promissiones illae divinae et vaticinia, quibus Deus generis humani, e statu felicitatis elapsi, peccatoque infecti, misertus, redemptorem seu Messiam adpromisit. Perpendendo haec divina Oracula, successive hominibus data, maximam in illis reperimus divinae providentiae oeconomiam: per certos nempe gradus promissio Dei de divino mundi salvatore cucurrit, usque dum tandem plenitudo temporis adveniret, qua dudum expectatus adparuit.

1°. *Adamo* lapso simpliciter promittitur humani generis redemptor, sed tempus et circumstantiae ejus adventus alto premuntur silentio: *Inimicitias ponam*, ajebat Deus serpenti seductori, seu Diabolo, *inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa* (hebraïce *ipsum* semen, seu mundi redemptor) *conteret caput tuum* (*x*). Adam, et dein ejus filii, per hanc clementissimi Dei promissionem erecti in spem restitutionis in pristinum felicitatis spiritualis statum, illius fidem suis posteris transmiserunt.

2°. *Abrahamo* jam paulo enucleatius idem redemptor hominum adpromissus fuit, dum illi dictum fuit, Messiam ex ipsius familia na-

(*x*) *Gen.* 3, 15.

sciturum fore : *Benedicentur*, ajebat illi Deus, *in semine tuo omnes gentes terrae* (y). De quibus verbis Dei ad Abrahamum D. Paulus : *Abrahae*, inquit, *dictae sunt promissiones*, *et semini ejus. Non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno : Et semini tuo*, *qui est Christus*. (z).

3°. Patriarcha *Jacob*, Spiritu S. inspiratus, vaticinatur, Messiam e *tribu Juda* nasciturum esse, designat generaliter ejus adventum, aitque, illum adventurum quando *sceptrum e tribu Juda* sublatum fuerit : *Juda*, dicebat Jacob, *te laudabunt fratres tui... Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium* (a).

4°. Successu temporis adhuc clarius indicatus fuit Messias, cum Deus promitteret Davidi, illum ex ejus familia nasciturum, *Davidque* praedixit, redemptorem mundi fore filium Dei (b),

5°. *Isaïas* postea adhuc clarius vaticinatus est, Messiam ab intemerata virgine stirpis Davidicae sine viri ope concipiendum esse, atque pariendum : *Ecce*, ajebat familiae regis Achaz, *virgo concipiet, et pariet filium et vocabitnr nomen ejus Emmanuel* (c),

Idem Propheta redemptorem humani generis tam vivis adumbravit coloribus, ut non futura praedixisse, sed potius oculis praesentia scripsisse diceretur; praedixit, enim

---

(y) *Gen.* 22, 18.
(z) *Galat.* 3, 16.
(a) *Gen.* 49, 8-10.
(b) *Ps.* 109.
(c) *Isaiae* 7, 14.

Messiae temporibus idola dejicienda, gentiles convertendos, Judaeos obcaecandos, miracula varia a Messia patranda, et felicitatem spiritualem populis omnibus adferendam esse (*d*). Graphice immo describit Isaïas cruciatus ac tormenta, quae redemptor orbis pro salute humani generis perpessurus erat (*e*).

6°. *Jeremias* deinde praedixit, redemptorem humani generis legem veterem aboliturum, novamque laturum esse (*f*).

7°. Propheta *Daniel* sermonem faciens de septuaginta hebdomadibus annorum, seu annis 490., exacte determinat tempus, quo hominum liberator adventurus erat, aitque, eum adfuturum intra hebdomades sexaginta novem, incipiendo hebdomades a tempore, quo Persarum rex edictum daturus, et facultatem Hebraeis concessurus est reaedificandi urbem Hierosolymam, illum intra sexaginta duas Hebdomades occidendum esse a populo, qui ipsum negaturus est, Hierosolymam vero cum suo templo devastandam esse, atque hujus desolationis nullum fore finem: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum*, ait Gabriel Danieli, *et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiet peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut*

(*d*) *Isaiae* 9. 11. 12.
(*e*) *Isaiae* 53.
(*f*) *Jerem.* 31.

iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomade una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (g).

8°. *Michaeas*, Isaïae contemporaneus, designat ipsum locum, in quo Messias post septingentos circiter annos in lucem edendus erat: *Et tu Bethlehem Ephrata*, ait, *parvulus es, in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis* (h).

9°. *Malachias* praenuntiavit *Praecursorem* Messiae (i).

10°. *Aggaeus*, uti et *Malachias*, praedixit, Messiam adventurum esse stante secundo templo Hierosolymitano (k).

11°. *Zacharias* praedicit, hominum redemptorem prodendum, triginta Siclis argenteis divendendum, et a suis esse deserendum (l).

(g) *Dan.* 9, 24-27
(h) *Mich.* 5, 2.
(i) *Malach.* 3, 1.
(k) *Aggaeus* 2, 7. *Malach.* 3, 1.
(l) *Zach.* 11, 12-13. 13, 7.

Ex hisce elucet, promissiones ac vaticinia divina de Messia eo clariora et distinctiora in Bibliis S. fieri, quo genus humanum magis redemptore indigebat, et quo propius ejus adventus instabat. Voluit Deus spem atque fidem miseri generis humani hisce suis oraculis fovere et exacuere, usque dum tandem ipsum redimeret.

Reperitur in Libris S. doctrina excellens, simplex et sublimis, de Deo divinisque ejus attributis, et quidem jam tradi coepta quando genus humanum adhuc in sua infantia erat, et continuata quando totus fere terrarum orbis spissis ignorantiae tenebris involutus erat, ac quando maxima pars hominum creaturas et inania commenta adorabat. Invenitur in illis doctrina praestantissima de ortu, dignitate ac fine ultimo hominis, de ejus relatione et obligationibus ad Deum creatorem, benefactorem, rectorem coeli et terrae, atque criminum justum vindicem. Quid dicam de praestantissima doctrina morali Librorum S., qua homo sibimet ipsi imperare, illicitos adpetitus, sanae rationi, legique divinae subjicere, alteri praestare quae sibi exoptat, omnia ad Deum referre edocetur, qua homo consequenter melior redditur, et qua illi via ad veram felicitatem tum hujus tum alterius vitae sternitur?

Jam in primis Scripturae S. libris panditur prospectus in postrema illa tempora, quibus salutaris Dei cognitio, morum emendatio, et vera felicitas ad omnes gentes deferendae erant. Divinum hoc consilium in antiquioribus libris annuntiatur, in subsequentibus dilucidius declaratur, atque in Novo Testa-

mento admiranda ratione executioni mandatur. Licet Pantheismus ac Idololatria universum fere terrarum orbem obnubilarent, divinum hoc consilium non dumtaxat immotum perstitit, sed et constanter ad suum finem tetendit. Eventus majores ad ipsum collimantes in Libris S. praedicuntur, prout praedicti sunt eveniunt, et tandem adveniente Messia divinum hoc consilium plenum sortitur effectum.

Jesus Nazarenus vera patrat miracula, vera edit vaticinia, divinamque tradit doctrinam, per quae probat, se esse illum Messiam a Prophetis tot ante saeculis praedictum, atque in se omnium Prophetarum vaticinia accurrate esse adimpleta. A multis ut Messias agnoscitur, sed a Synagoga et a majori parte nationis reiicitur, opprobriis oneratur, et morti ignominiosae traditur, ut a Prophetis praedictum fuerat. Ducebantur nempe Synagoga populusque judaeus generatim illo aevo praeocupatis opinionibus, Messiam debere esse potentem principem, qui terrenum Davidis regnum restitueret, et cum Jesum Nazarenum talem haud esse viderent, illum negarunt, morteque adfecerunt. Ast probrosa Christi morte haud obstante divinum consilium fortiter ac suaviter ad finem suum tetendit.

Ecce enim duodecim piscatores, viri rudes, illiterati ac ignobiles, a Christo selecti sunt, ut conversionem totius orbis auspicentur, atque ita salutiferam Dei cognitionem, morum emendationem, et veram felicitatem ad omnes gentes deferant atque propagent. Hi piscatores divitias spernunt, pro-

pria commoda negligunt, paupertatem sua sponte sectantur. Hierosolymis in ipsa Judaeae metropoli festo die Pentecostis coram refertissima multitudine cujusque nationis Apostolatum suum inchoant, ut palam faciant, se Dei doctrinam Divini sui magistri jussu praedicare, tempusque conversionis totius orbis advenisse. Illo aevo Gentilium religio foedissimis turpitudinibus coinquinata, perversis hominum adfectibus maxime favebat. Christi vero divina doctrina austera pravis hominum passionibus inimicissima erat. Et tamen duodecim illi piscatores, gratia Dei adjuti, persuadent Gentilibus, et non solum plebeis, sed etiam nobilibus, principibus ac philosophis, ut facilem suam religionem abjurent, et severam Christi religionem amplectantur; persuadent Judaeis, ut religionem avitam, quae tot saeculis apud illos steterat, deserant, et ut virum, quem ut facinorosum in crucem egerant, ut suum Deum adorent, agnoscantque ut istum Messiam, quem Prophetae tot abhinc saeculis praedixerant, et quem ipsi tamdiu expectarant, votisque omnibus expetierant. Et en mundum conversum, salutiferamque Dei cognitionem ac legem populis omnibus adlatas, divinumque consilium plenum suum effectum sortitum.

Incredibile diceretur tam arduum, tam vastum, tamque portentosum opus a duodecim viris imperitis executioni esse mandatum. Sed quid Deo impossibile? *Quae stulta sunt mundi elegit Deus*, ait Doctor Gentium, *ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt,*

ut ea quae sunt destrueret (*m*). Mundus conversus est, Christi salutiferam doctrinam amplexus est, et hoc effecerunt duodecim viri piscatores, rudes, illiterati ac ignobiles, sed spiritu Dei pleni, et in legatos supremi Numinis divinitus transformati!

Quam pulchri, quam pretiosi, quam studio Clericorum digni sunt Sacri illi Libri Veteris Foederis, quibus Deus tot oracula inseruit, queis collapsum genus humanum in spem, firmamque fidem in redemptorem hominum ante ejus adventum semper magis magisque erigeret! Et quam venerandi, diurna nocturnaque Clericorum manu versandi sunt Libri S. Novi Foederis, in quibus haec divina oracula adimpleta, cognitio salutaris veri Dei, ejusque divina lex, gentibus omnibus adlatae esse leguntur, quae viam ad veram felicitatem hominibus paudunt!

Alterum incitamentum ad studium Scripturae S. est ingens hujus studii necessitas. Cum Scriptura S. contineat doctrinam nostrae sacrosanctae religionis, pseudo-philosophi, seu Deistae, nostrorum temporum, severae morum doctrinae, notionumque supernaturalium inimici, assultus quoscumque in Biblia S. fecerunt, malentes negare ac impugnare austeram illorum doctrinam, scientiamque humano captui imperviam, quam vitam christianam ducere, et intellectum suum subdere divinis Oraculis. Cum vero perniciosi istorum pseudophilosophorum libelli longe lateque serpserint, quamplurimosque Deistas in variis societatis humanae classibus progenuerint, sequitur, sa-

(*m*) *I. Corinth.* 1, 27-28.

cerdotes curae animarum praepositos, vix boni aliquid cum hujusmodi seductis hominibus operari posse, nisi Scripturae S. impigram operam dederint. Quomodo enim quis Librorum S. defensionem in se suscipiet, si illis mentem sedulo non applicavit? Quomodo difficultates in illis occurrentes, quae Deistis sunt *petra scandali*, explicabit, si illis antea diligenter non studuit? Quomodo dubios in fide confirmabit, si illis sua dubia solvere nescit?

Tertium incitamentum est obligatio Clericorum ad studium Scripturae S. Haec primis Ecclesiae temporibus omnique aevo, a piis impigrisque sacerdotibus tam stricte observata fuit, ut *S. Ambrosius* Scripturam S. adpellaret *Librum Sacerdotalem* (*n*). Ecclesia vero pigris sacerdotibus variis in Conciliis hanc obligationem repetere ac inculcare numquam desiit. Caeterum Scripturae S. notitiam pastoribus, qui populum suae curae commissum pabulo verbi Dei pascere jubentur, maximopere necessariam esse, unanimiter testantur scripta Patrum, Conciliorumque decreta; atque hinc *Concilium Tridentinum* in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis pro Clericorum instructione lectionem perpetuam debere esse statuens, de lectione Scripturae S. dumtaxat meminit, ac si illa sola pro illis esset, aut certe omnium lectionum princeps (*o*).

Haereses et errores omnes adversus religionem Christi ex male intellecta Scriptura S., aut ex illius ignorantia orti sunt, atque ad eos refutandos exacta Librorum S. cogni-

---

(*n*) *Ambros. De Fide Libr.* 3. *C.* 7.
(*o*) *Concil. Trid. Sess.* 5. *C. I. de Reformat.*

tio est omnino necessaria: *Ignorantia mater omnium errorum*, dicitur in Jure Canonico, *maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt .. Sciant igitur sacerdotes Scripturas Sanctas* (p).

Dignitas igitur Librorum S., ingens nostrorum temporum necessitas, et obligatio Clericorum imperiose expostulant, ut Clerici Scripturae S. impigram operam navent.

Cum omnes Libri S. V. F. contineant simul capita 1074., et Libri S. N. F. capita 290. tota Scriptura S. intra annum absolvi poterit, si tempore antemeridiano tria capita ex V. T., et tempore pomeridiano unum caput ex N. T. legantur. Consultum autem omnino est, ut cum lectione Scripturae S. conferatur commentarius aliquis.

Atque hisce finem Hermeneuticae Sacrae imponimus. Faxit Deus, Charissimi Discipuli in quorum gratiam typis mandatur, ut per vestrum studium laetos uberesque fructus producat, Religioni, Ecclesiae, Patriae atque Vobis profuturos.

Quisquis haec legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me.

August. De Trinit. Lib. 1. C. 3.

(p) *Distinct.* 38. *C.* 1.

TABULA

CHRONOLOGIAE MOSAICAE.

	NOMINA Patriarcharum.	GENITUS Anno mundi.	GENUIT Anno aetatis.	MORTUUS Anno aetatis.	MORTUUS Anno ab orbe condito
1.	Adam . .	*Creatus* 1.	130. (Gen. 5, 3.)	930. (Gen. 5, 5.)	930.
2.	Seth . . .	130.	105. (Gen. 5, 6.)	912. (Gen. 5, 8.)	1042. (*a*)
3.	Enos . . .	235.	90. (Gen. 5, 9.)	905. (Gen. 5, 11.)	1140.
4.	Caïnan . .	325.	70. (Gen. 5, 12.)	910. (Gen. 5, 14.)	1235.
5.	Malaleel .	395.	65. (Gen. 5, 15.)	895. (Gen. 5, 17.)	1290.
6.	Jared . .	460.	162. (Gen. 5, 18)	962. (Gen. 5, 20.)	1422.
7.	Henoch .	622.	65. (Gen. 5, 21.)	365. (Gen. 5, 23.)	987.
8.	Mathusala	687.	187. (Gen. 5, 25.)	969. (Gen. 5, 27.)	1656.
9.	Lamech .	874.	182. (Gen. 5, 28-29.)	777. (Gen. 5, 31.)	1651.
10.	Noë . . .	1056.	500. (Gen. 5, 31. 11, 10.)	950. (Gen. 9, 29.)	2006.
11.	Sem . . .	1558. (*b*)	100. (Gen. 11, 10.)	600. (Gen. 11, 10-11.)	2158.
12.	Arphaxad	1658.	35. (Gen. 11, 12.)	438. (*c*) (Gen. 11, 12-13.)	2096.
13.	Sale (*d*) .	1693.	30. (Gen. 11, 14.)	433. (Gen. 11, 14-15.)	2126.
14.	Heber . .	1723.	34. (Gen. 11, 16.)	464. (Gen. 11, 16-17.)	2187.
15.	Phaleg . .	1757.	30. (Gen. 11, 18.)	239. (Gen. 11, 18-19.)	1996.
16.	Reu . . .	1787.	32. (Gen. 11, 20.)	239. (Gen. 11, 20-21.)	2026.
17.	Sarug . .	1819.	30. (Gen. 11, 22.)	230. (Gen. 11, 22-23.)	2049.
18.	Nachor .	1849.	29. (Gen. 11, 24.)	148. (Gen. 11. 24-25.)	1997.
19.	Thare . .	1878.	70. (Gen. 11, 26.)	205. (Gen. 11, 32.)	2083.
20.	Abraham	2008. (*e*)	100. (Gen. 21, 4-5.)	175. (Gen. 25, 7-8.)	2183.
21.	Isaac . . .	2108.	60. (Gen. 25, 25-26.)	180. (Gen. 35, 28.)	2288.
22.	Jacob . .	2168.	86.	147.	2315.
23.	Levi . . .	2254.		137.	2391.
24.	Amram .	—		137.	—
25.	Moyses .	2433.		120.	2553.

TABULA
CHRONOLOGIAE MOSAICAE
Variantium Samaritanorum ac LXX. Interpretum.

		Hebraeos	Juxta Samaritanos	LXX. Interpretes	Hebraeos	Juxta Samaritanos	LXX. Interpretes	Hebraeos	Juxta Samaritanos	LXX. Interpretes
	PATRIARCHAE.	GENUIT	ANNO	AETATIS	MORTUUS	ANNO	AETATIS	MORTUUS	ANNO	MUNDI
1.	Adam	130.	130.	230.	930.	930.	930.	930.	930.	930.
2.	Seth (*f*) . .	105.	105.	205.	912.	912.	912.	1042.	1042.	1142.
3.	Enos	90.	90.	190.	905.	905.	905.	1140.	1140.	1240.
4.	Caïnan . . .	70.	70.	170.	910.	910.	910.	1235.	1235.	1335.
5.	Malaleel . .	65.	65.	165.	895.	895.	895.	1290.	1290.	1390.
6.	Jared	162.	62.	162.	962.	847.	962.	1422.	1307.	1522.
7.	Henoch . . .	65.	65.	165.	365.	365.	365.	987.	887.	987.
8.	Mathusala . .	187.	67.	167.	969.	720.	969.	1656.	1407.	1756.
9.	Lamech . . .	182.	53.	188.	777.	653.	753.	1651.	1407.	1607.
10.	Noë (*g*) . . .	500.	500.	500.	950.	950.	950.	2006.	1877.	2012.
11.	Sem	100.	100.	100.	600.	600.	600.	2158.	2158.	2158.
12.	Arphaxad . .	35.	135.	135.	438.	438.	535.	2096.	2096.	2193.
*	Caïnan . . .	—	—	130.	—	—	460.	—	—	2253.
13.	Sale	30.	130.	130.	438.	433.	460.	2126.	2226.	2253.
14.	Heber	34.	134.	134.	464.	404.	404.	2187.	2227.	2227.
15.	Phaleg . . .	30.	130.	130.	239.	239.	339.	1996.	2096.	2096.
16.	Reu	32.	132.	132.	239.	239.	339.	2026.	2126.	2226.
17.	Sarug	30.	130.	130.	230.	230.	330.	2049.	2149.	2249.
18.	Nachor . . .	29.	79.	79.	148.	148.	204.	1997.	2097.	2153.
19.	Thare	70.	70.	70.	205.	145.	205.	2083.	2073.	2133.

NOTAE

In. Tabulas Chronologiae Mosaicae.

(*a*) Cum *Adam* primo anno mundi creatus sit, anno 130. aetatis ac mundi genuerit *Seth*, et anno 930, suae vitae, consequenter anno 930. ab orbe condito, e vivis excesserit, cumque anni aetatis, qua alii Patriarchae genuerunt, et qua obierunt, ex Pentateucho noscantur, inde facili negotio eruitur quoto anno mundi singuli nati sint, et quoto anno ab orbe condito singuli sint mortui.

Sic cum *Adam* genuerit *τον Seth* anno 130. suae aetatis, sequitur Seth natum esse anno 130. ab orbe condito, et cum Seth mortuus sit anno aetatis 912., additis huic aetati annis mundi 130., qui ante ejus nativitatem elapsi erant, invenitur illum occubuisse anno 1042. a creatione mundi.

Seth progenuit *τον Enos* anno aetatis 105., aetati huic adjectis annis mundi 130., qui ante nativitatem *τον* Seth effluxerant, sequitur, Enos natum esse anno 235. ab orbe condito. Vixit Enos 905. annis, huic aetati accensitis annis mundi 235., qui illius nativitatem praecesserant, deprehenditur, illum mortuum esse anno mundi 1140.

(*b*) Moyses *Genesis* C. 5, 31. equidem scribit: *Noë vero cum quingentorum esset anno-*

rum, *genuit Sem*, *Cham et Japhet*; ast *Gen. C.* 11, 10. ait: *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad*, *biennio post diluvium*, et *Gen. C.* 7, 6. refert, Noë fuisse *sexcentorum annorum*, *quando diluvii aquae inundaverant super terram*. Ex quibus, sequitur, *Japhet* natum esse anno 500. aetatis Noë, *Sem* anno ejus vitae 502. et anno 1558. ab origine mundi. *Cham* vero post Sem genitus est.

Japhet aliunde juxta versiones graecas *LXX. Interpretum ac Symmachi* Gen. C. 10, 21. clare dicitur esse frater natu major *του Sem*; ubi enim eo loco Vulgatae auctor textum hebraeum vertit per: *De Sem ..... fratre Japhet majore*, verterunt LXX. Interpretes: *τῳ Σημ ... αδελφῳ Ιαφεθ του μειζονος = De Sem ..... fratre Japheti majoris*, atque Symmachus: *του πρεσβυτου = Senis*, seu natu majoris.

De Cham vero dicit Moyses *Gen. C.* 9, 24: *Evigilans Noë ex vino*, *cum didicisset quae fecerat ei filius suus minor*, *ait* etc. E quibus liquet *Cham* post *Japhet* et *Sem* progenitum fuisse. Moyses autem *Gen. C.* 5, 31. collocat *Sem* primo loco, quia *Sem* stipes est generationis, e qua *Heber*, *Thare*, *Abraham*, atque consequenter populus hebraeus descendunt.

(*c*) *Vulgatae* auctor *Gen. C.* 11, 12-13. *τῳ Arphaxad* equidem 338. annos dumtaxat totius vitae attribuit; verum *textus hebraeus*, *paraphrases chaldaïcae*, *ac versiones syriaca* et *arabica* ei Gen. C. 11, 12-13. annos 438., aetatis adscribunt. Ita pariter legitur in *Po-*

lyglottis Complutensibus ac Parisiensibus (Conf. N. 104).

(*d*) Ubi *Vulgata* Gen. C. 10, 24., habet: *Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber*, in LXX. *Interpretibus* legitur: *Αρφαξαδ ἐγεννησε τον Καιναν, και Καιναν εγεννησε τον Σαλα. Σαλα δε ἐγεννησε τον Ἑβερ* = *Arphaxad genuit Caïnan, et Caïnan genuit Sale. Sale autem genuit Heber.*

Verum iste *Caïnan* haud extat in *textibus hebraico ac Samaritano*, *in versionibus syriaca et arabica* etc. ac in *Fl. Josepho et Philone* (Conf. N. 105.).

(*e*) Moyses *Gen. C. 11, 26.* scribit: *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Náchor, et Aran*, ex quibus sequi videri posset, Thare tres istos filios eodem 70. aetatis anno progenuisse, et quidem *Abram* primo loco.

Verum Moyses loco citato solummodo 70. aetatis annum τον *Thare* designat ut epocham, qua Thare liberos procreare coepit. *Abram* primo loco ponit dignitatis causa tamquam stipitem electi populi Judaei; sic Moyses etiam collocat τον *Sem* ante *Japhet*, et semetipsum (Moysen) ordinarie collocat ante *Aaronem*, licet Japhet natu major sit τον Sem, et Aaron ante Moysen in lucem editus sit.

Abrahamum anno 70. aetatis τον *Thare* progenitum non esse, sed 130. anno illius vitae, constat, quod *Gen. C. 11, 32.* Moyses scribit, *Thare* obiisse in *Haran* 205. anno suae aetatis, et Gen. C. 12, 4., Abrahamum anno obitus sui patris Thare, ex *Haran* discessisse, ac 75. annorum fuisse. Deductis igitur istis 75. annis ab aetate 205. annorum, quam Thare

moriendo habebat, remanent 130. anni; sequitur consequenter, Abrahamum natum esse anno 130. aetatis sui patris Thare, ac proinde de anno 2008. ab orbe condito.

(*f*) Ad annum obitus Patriarcharum, ab orbe condito numerandum, juxta *Samaritanos et LXX. Interpretes* reperiendum, videndum est quoto anno mundi Patriarchae juxta illos a suis patribus progeniti sint. Huic numero annorum addendi sunt anni totius eorum vitae juxta *Samaritanos* et *LXX. Interpretes*, et invenitur quoto anno ab origine mundi Patriarchae obierint. Sic *Seth* juxta LXX. Interpretes genitus est ab *Adamo* anno mundi 230. (*Tab. Chron. Mos. Var. 1. Col. 4.*)., si hisce annis mundi adduntur 912. anni, quibus *Seth* juxta LXX. Interpretes vixit, reperitur, *Seth* juxta illos defunctum esse anno 1142. ab orbe condito.

Lamech juxta *Samaritanos* a *Mathusala* progenitus fuit anno 754. a creatione mundi (*Tab. Chron. Mos. Var. 8. Col. 3.* et *Tab. Chron. Mos. 9. Col. 3.*), vixit juxta Samaritanos 653. annis, consequenter obiit juxta illos anno 1407. a creatione mundi.

(g) Ex columnis 3., 4., et 5. eruitur Epocha, ad quam figitur *Diluvium* juxta chronologiam *Hebraeam*, *Samaritanam*, et *Graecam LXX. Interpretum*; anni enim generationis Patriarcharum mutuo se se excipiunt, et quasi catenam usque ad annum 500. aetatis Noëmi conficiunt. Sic anno 130. *Adami*, quo *Seth* progenitus fuit, incipit primus annus *τον Seth*, et anno 105. *τον* Seth, quo *Enos* genitus fuit, inchoatur primus annus *τον Enos*; quare anni, quibus Patriarchae suos filios pro-

genuerunt, usque ad 500. annum vitae Noëmi juxta columnam 3, 4, et 5. additi, tradunt Epocham, ad quam diluvium juxta Hebraeos, Samaritanos, et LXX. Interpretes refertur.

Anni Patriarcharum simul computati conficiunt usque ad 500. annum aetatis Noëmi conformiter textui Hebraeo juxta columnam 3. annos 1556., conformiter textui Samaritano juxta Columnam 4. annos 1207., atque conformiter versioni graecae LXX. Interpretum juxta columnam 5. annos 2142. Cum anno 600. aetatis Noëmi contigerit Diluvium, annis 100. columnae 3. 4. et 5. additis, sequitur, diluvium contigisse juxta textum Hebraeum anno mundi 1656., juxta Samaritanos anno 1307., et juxta LXX. Interpretes anno 2242., ut N. 102. Hermeneuticae adseruimus.

INDEX

CAPITUM, SECTIONUM, AC PARAGRAPHORUM AMBORUM VOLUMINUM HERMENEUTICAE S.

Numeri Arabici designant numeros marginales.

VOLUMEN I.

Praefatio ac Prospectus hujus operis. Pag. V-XII.

NOTIONES PRAEVIAE.

Divisio Librorum S. n. 1-2.)
Divisio Scripturae S. in Epochas. 3.)

CAPUT I.

DE CANONE LIBRORUM S.

§. I. Notio Canonis. 4.)
§. II. Canon Catholicorum. 5.)
§. III. Libri Proto ac Deuterocanonici V. et N. F. 6.)
§. IV. Canon Judaeorum. 7.)
§. V. Canon Protestantium. 8.)
§. VI. Canon Catholicorum, seu Concilii Tridentini, conformis est praecipuarum Ecclesiarum antiquarum Canonibus, plurimorumque Patrum quinque primorum saeculorum scriptas; quare Concilium Tridentinum illum merito condidit. 9-18.)

Difficultates Generales Canonis.

§. VII. Silentium Christi et Apostolorum de Libris Deuterocanonicis V. F., ac horum librorum a Canone Judaeorum absentia 19.)
§. VIII. Absentia Librorum deuterocanonicorum a Canone nonnullorum antiquorum Patrum, et Concilii Laodiceni. 20.)
§. IX. Difficultates Canonum Conc. Carth. an. 397., Gelasii, Innocentii I., Eugenii IV., et Concilii Tridentini. 21.)
§. X. De Libris Apocryphis. 22.)
§. XI. De Libris Deperditis. 23.)

CAPUT II.

De Divinitate Librorum S.

§. I. Utilitas Verbi Divini Scripti. 24.)
§. II. Necessitas Inspirationis. 25.)
§. III. Notio Inspirationis. 26-28.)
§. IV. Controversiae de modo Inspirationis. 29-31.)
§. V. Errores de Inspiratione. 32.)
§. VI. Fides Judaeorum de Inspiratione. 33.)
§. VII. Omnes Libri S. Veteris Foederis divinitus inspirati sunt. 34-36.)
§. VIII. Libri omnes Novi Foederis a Deo inspirati sunt. 37-43.)

Vindiciae Divinitatis Librorum S.

§. IX. De fide Judaeorum circa Inspirationem. 44.)
§. X. De labore in scribendo, praescientia, et certis modis loquendi Scriptorum S. De impiorum sermonibus. 45.)

§. XI. De libris pseudo-sacris populorum non Christianorum. 46).
§. XII. De Oraculis Gentilium. 47.)
§. XIII. De carminibus Sibyllinis. 48.)
§. XIV. De miraculis Pentateuchi, et de adparitionibus Dei anthropomorphiticis. 49.)
§. XV. Num Moyses immortalitatem animae ignoravit? 50.)
§. XVI. Num Moyses Deum nationalem, ac nonnisi formidandum docuit? Num Deum corporeum credidit? Num caeremoniae, quas praescripsit sunt inutiles? de Hirco Emissario. 51.)
§. XVII. De Circumcisione. 52.)
§. XVIII. De Lotho ejusque filiabus. 53).
§. XIX. De mendaciis et spolio AEgyptiaco. 54.)
§. XX. De lege Talionis. 55.)
§. XXI. Num Hebraei reliquum humanum genus odio habere edocti sunt? de usura, ac de exterminatione Chananaeorum. 56.)
§. XXII. De anno sabbathico. 57.)
§. XXIII. De cibis vetitis Judaeorum. 58.)
§. XXIV. De immunditiis legalibus. 59.)
§. XXV. De Leviratu. 60.)
§. XXVI. De libello repudii. 61.)
§. XXVII. De jurejurando purgatorio uxoris suspectae. 62.)
§. XXVIII. De Polygynia, seu Polygynaecia, aut polygamia. 63.)
§. XXIX. De victimis humanis, ac nominatim de sacrificio Isaaci, et filiae Jephte. 64.)
§. XXX. De Magia. 65.).
§. XXXI. De Naturalismo. 66-72.)
§. XXXII. De Naturalismo Biblico. 73.)

CAPUT III.

De Authentia Librorum Sacrorum.

Notiones Praeviae 74.)

SECTIO I.

De Pentateucho.

§. I. De existentia Moysis. 75.)
§. II. Lingua et aetas Pentateuchi. 76.)
§. III. Archaeologia Pentateuchi. 77-78.)
§. IV. Errores circa aetatem Pentateuchi. 79-80.)
§. V. Argumentum generale Pentateuchi. 81.)
§. VI. Argumentum Geneseos. 82.)
§. VII. Argumentum libri Exodi. 83.)
§. VIII. Argumentum libri Levitici. 84.)
§. IX. Argumentum libri Numerorum. 85.)
§. X. Argumentum Deuteronomii. 86.)
§. XI. Auctor Pentateuchi est Moyses. 87-92.)
§. XII. Vindiciae Moysis ut auctoris Pentateuchi. 93.)
§. XIII. Continuatio prioris. 94.)

§. XIV. Digressio I.

De ortu artis scribendi. 95.)

§. XV. Digressio II.

Materia et instrumenta antiquae scripturae. 96-97.)

§. XVI. Digressio III.

Libri et scriptores antiqui. 98-99.)
§. XVII. Pentateuchus quoad substantialia incorruptus extat. 100-101.)

§. XVIII. Vindiciae incorruptionis Pentateuchi. 102-106.)
§. XIX. Pentateuchus est verax. 107-113.)

VINDICIAE VERACITATIS MOYSIS.

§. XX. Num Moyses impostor? 114.)
§. XXI. Silentium aut contrarietas scriptorum antiquorum de factis miraculosis Pentateuchi. 115.)
§. XXII. De Praeadamitis. 116-117.)
§. XXIII. De Chronologia Moysis. 118.)
§. XXIV. De longaeva Patriarcharum aetate, et epocha eorum paternitatis. 119.)
§. XXV. De fundatione regnorum, et de Palaestina. 120.)
§. XXVI. De Gigantibus. 121.)
§. XXVII. De Diluvio. 122.)
§. XXVIII. De Plagis AEgypti, et de mirabilibus Magorum. 123-127.)
§. XXIX. De transitu Maris Rubri. 128-129.)
§. XXX. De Vitulo aureo. 130.)
§. XXXI. De Manna. 131.)
§. XXXII. De Serpente AEneo. 132.)

SECTIO II.

DE LIBRIS S. V. F. PENTATEUCHO POSTERIORIBUS.

De Libro Josue, Hebr. Jehosua.

§. XXXIII. Lingua et auctor libri Josue. 133-136.)
§. XXXIV. Liber Josue saltem ex documentis coaevis constat. 137.)
§. XXXV. AEtas libri Josue. 138.)
§. XXXVI. Fides libro Josue debita. 139.)
§. XXXVII. Argumentum et scopus libri Josue. 140-141.)

§. XXXVIII. Difficultates Libri Josue.

Transitus Jordanis. Ruina murorum Jerichuntis, et pluvia lapidum. 142-144.)

§. XXXIX. Statio Solis sub Josua. 145-150.)

De Libro Judicum, Hebr. Sophetim.

§. XL. Lingua et auctor libri Judicum. 151-152.)

§. XLI. Liber Judicum ex antiquissimis documentis depromptus est. 153.)

§. XLII. AEtas libri Judicum. 154.)

§. XLIII. Fides libro Judicum debita. 155.)

§. XLIV. Argumentum et scopus libri Judicum. 156-159).

§. XLV. Eglon et Aod. Sisara et Jahel. 160-161.)

§. XLVI. Samgar et Gedeon. 162-163.)

§. XLVII. Samson.

Num sanctus sistitur? Ejus robur. Leo occisus, et mel in ejus ore. 164-166.)

§. XLVIII. Continuatio de Samsone. 300. Vulpes. 167.)

§. XLIX. Samson 30. Philisthaeos occidit, novos funes ac recentes nervos rumpit, et 1000. percutit Philisthaeos. 168-170.

§. L. Continuatio de Samsone. Fons in Maxilla. 171.)

§. LI. Ablatio portae civitatis Gazae. Amissio virium Samsonis. Destructio templi Dagonis in Gaza. Mors Samsonis. 172-174.)

De Libro Ruth.

§. LII. Lingua, auctor et aetas libri Ruth. 175.)

§. LIII. Fides libro Ruth debita. 176.)
§. LIV. Argumentum et scopus libri Ruth. 177-178.)
§. LV. Difficultates libri Ruth. 179.)

De Libris Samuelis et Regum, seu de quatuor Libris Regum.

§. LVI. Lingua et auctor librorum Samuelis et Regum. 180-183.)
§. LVII. Quatuor libri Regum ex antiquis documentis confecti sunt. 184-185.)
§. LVIII. AEtas quatuor librorum Regum 186.)
§. LIX. Fides quatuor libris Regum debita. 187.)
§. LX. Argumentum quatuor librorum Regum. 188-189.)

Difficultates quatuor Librorum Regum.

§. LXI. De Bethsamitarum morte, ac de Saulis exercitu. 190-192.)
§. LXII. Saulis malus spiritus. 193.)
§. LXIII. Pythonissa in Endor. 194.)
